Ch. Medic








SEBASTIANI Wirdig/
Med. D. & PP.

NOVA

MEDICINA SPIRITUUM:

CURIOSA

Scientia & doctrina, unanimiter hucusq; neglecta, & à nemine meritò exculta, Medicis tamen & Physicis utilissima.

In quâ


Primo SPIRITUUM naturalis Constitutio, Vita, Sanitas, Temperamenta, Ingenia, Calidum innatum, Phantasiæ vires, Ideæ, Astrorum influentiæ, Μετεμψύχωσις, rerum Magnetissimi, Sympathiæ & Antipathiæ, Qualitates hactenus occultæ, sensibus tamen manifestæ, aliaq; cæteroquin abstrusa & Paradoxa;


Dehinc SPIRITUUM præternaturalis seu morbosa Dispositio, Causæ, Curationes per Naturam, per Diætam, per Arcana majora, Palingenesiam, Magnetissimum seu Sympatheismum, Transplantationes, Amuleta, ingenuè & dilucidè demonstrantur.

Ad Regiam Societatem Londinensem.

HAMBURGI,
Ex Officina GOTHOFREDI SCHULZEN,
Prostant & Amsterodami
Apud Johannem Janssonium à Waesberge.

M DC LXXIII.





Consumatissima doctrina, acerrimo judicio, incomparabili experientia & rerum usu

ILLUSTRIBUS,

SOCIETATIS

REGIÆ

Londini, ad Naturalem Cognitionem promovendam institutæ,

STATORIBUS.

Venerabili

DN. PRÆSIDI

ac SENIORI,

Cæterisque

Gravissimis Collegii Curiosorum

DNN. ASSESSORIBUS,

FAUTORIBUS SUIS

singulariter honorandis

S. P.

SErenisſimus REX CAROLUS Potentiſſimus Magnæ Britanniæ Monarcha, Sapientiſſimus PRINCEPS, intelligens, quibus utilitatibus & emolumentis, intimior rerum naturalium Cognitio, Vitas, Fortunas, Rem & Salutem ſubditorum publicam ditaret, ſecundaret, ſacratiſſima Ejus Majeſtas maturo Conſilio Regiam Veſtram Societatem, ad cognitionem Naturalem promovendam pruden-

tissimè instituit, fundavit, firmavit, sanxit.

Quas utilitates omni seculo Naturalis Cognitio communi vitæ peperit, toti orbi magis quàm notorium est.

Unicum hac vice Magnetem nomino, quæ quæso commoditates & lucra ex illius naturali cognitione in omne vitæ genus cumulatissime retundarunt, florentissimæ docent in remotissimas mundi plagas susceptæ navigationes, expeditissima omnium po-

pulorum, gentium & nationum mutua commercia, ex his florentiſsimus ſubditorum ſtatus, quarumcunque rerum, & exoticarum etiam mercium abundantia.

Naturali Cognitione diteſcere poſſe homines, luculento teſtimonio olim demonſtravit Philoſophus Thales Mileſius, qui ſcientia ſuâ copioſam olearum præſagiens ubertatem, omnia conduxit Chiorum ac Mileſiorum trapeta, & non exiguas ſibi ex emolumen-

mentis corrasit divitias. Naturali cognitione civium & subditorum vitas conservari, non docuit solùm Hippocrates, verùm etiam reapse multis experimentis comprobavit, præstitit.

Vos itaque, quos Naturali Scientiæ promovendæ Sacratissima præfecit Majestas, in tam sublimi statione collocati, Civium Vestrorum Sospitatores estis, statores, pararii, quorum curâ, industria, vigilantia, dexteritate, tot commoda in

rempublicam & vitas ſubditorum, imò in universum mundum cumulatiſsimè effunduntur, derivantur, retundant.

Et eo nomine Vobis, meritò celebratiſsimis Naturarum, artium & ſcientiarum abditarum Inſtauratoribus, Aſſertoribus, Vindicatoribus, HANC SPIRITUUM MEDICINAM, aliqualem Naturalis cognitionis particulam, exiguam meam opellam, devoti erga Vos animi teſſeram officiose offero.

Ad ſtateram, quæſo, exquiſitisſimarum Veſtrarum obſervationum MEDICINAM HANC judicii Veſtri acritudine & dexteritate examinate, ad normam infallibilium Veſtrarum demonſtrationum illuſtri Veſtro ingenio, revocate, dirigite.

Quod ſi feceritis, Sereniſſimæ Majeſtatis Regiæ juſſui & mandato morigeri parebitis, de Naturali rerum ſcientia, præclarè merebimini, immortale Societati Veſtræ, laudabili hoc veſtro co-

cognitionem naturalem promovendi ſtudio, nomen, decus & famam conciliabitis.

Ego autem ſingularem hanc veſtram in me benevolentiam, grato animo æternum venerabor, & quovis officiorum genere demereri pro virili nullo non tempore annitar. Valete.


Regiæ Societati

Roſtochii, Calend. Septembr. 1672. *devinctiſſimus.*

SEBASTIANUS Wirdig/ Torgâ-Miſnicus, Med. D. Prof. & Medicus Ducalis.

Erudito

Erudito CENSORI, veritatem! Candido LECTORI Pacem & Salutem p.



IBI BENEVOLE LECTOR, ceu Experientissimo, judicioso Naturæ Consulto, TUÆq; doctissimæ Censuræ MEDICINAM SPIRITUUM, incultam hucusque, & unanimiter neglectam trado, committo: TIBI, inquã, TUOquə Candori, hanc SPIRITUUM DOCTRINAM, QVI intima NATURÆ penetrasti, examinandam, corrigendam exhibeo, expono: Quæ monenda sunt, moneas quæso, non sarcasticè, non mimosè, non injuriandi animo, sed laudabili potius, & fovorabili veritatis scrutandæ, eruendæ gratiâ & intentione. Tentabimus, si placet,

num conjunctis viribus veritatem puteo immersam, in gratiam proximi extrahere valeam⁹. Ex ipsa Natura Naturam eruamus. Natura se ipsam nudam nobis exhibet, semetipsam simplicem explicat. Ex ipsa Natura rectius informatus meliora substituam & veriora. Vox TUA, ô AMICE, erit mihi vox DEI; venerabor monita TUA, eâ quâ par est observantia & devotione, corrigamque corrigenda. HOMO sum, humanitus errare nihil à me alienum, cõvictus ab Experientissimo Physico per demonstrationes in errore non perseverabo. Non unâ vice excolitur, ne dum exhauritur scientia, & ars quædam sensibus obvia; non mirum, in abstrusissima SPIRITUUM MEDICINA, me homi-

hominem hallucinari, humanitus aliquoties cespitasse, dormitasse interdum. Restat & successoribus meis in EADEM MEDICINA experiunda multa, monenda, excolenda. TUUM itaque, CANDIDE LECTOR, per Gloriosissimum Naturarum Conditorem obtestor candorem! ut candidè mecum, qui ratione & experientia utor, & cum NATURA, communi nostra, & omnium rerum Matre, non injuriosè, non calumniosè agas. Hippocrates l. Præcept. Medicum, inquit, ratione utentem, alterum nunquam invidiosè calumniaturum, sic enim animi impotentiam prodet. Sciolorum, aut opinionibus præoccupatorum, & presumtuosorum non moror, ne dum admitto censuras, & a-

nimad-

nimadverſiones, qui hactenus 28. annorum (abſit arrogantia) Chymiæ ſum & Medicinæ Practicus, & huc usque in diverſis Academiis Profeſſor Publicus. Pares itaque, aut me ſuperiores deſidero in Natura & rerum naturalium obſervationibus me magis verſatos exercitatos, ſagaciores, perſpicatiores, Philoſophos, Medicos, Chymicos, veneror Cenſores, quorum honeſta intentio & deſiderabile deſiderium mecum in indaganda veritate & naturali cognitione promovenda pari paſſu ambulat. Vale Benevole LECTOR! Deum ama! veritatem cole! TUOQVE fave

SEBASTIANO Wirdig.

IN

VIRI NOBILISSIMI ET EXPERIENTISSIMI,

SEBASTIANI WIRDIGI,

Med. D. & Prof. in Acad. Rostoch. Celeberrimi,

Collegæ quondam amicissimi,

NOVAM SPIRITUUM MEDICINAM,

Illustri Societati Regiæ apud Anglos inscriptam.

NOn liberos quæ duxit olim Spiritus
Doctrina rerum & ars medendi lubrica
Inter tot atræ stulta bilis somnia,
Tot qualitatum disputatas nævias
Scholasticas febres & hei! meros logos,
Logos logorum quotque nascuntur logis

Logos

Logos ab illis redditos ſuis logis,
Tot tinnula hei! opinionum cymbala,
Tot regularum dogmatumque tot fabros,
Tot verbi fumi nugivendulos,
Vaporum alumnos & tot humorum coquos,
Actos in orbem tot rotis ixiones,
Interque tot voluta ſaxa Siſyphis.
Illa, illa, cui præcluſus olim vinculis
Per colla jactis penè Spiritus fuit,
Novos reſumit arbitro te, Spiritus,
Qui transmarinos æmulatus Hercules,
Rerum parentis excitatos vindices,
Propinquiores corporum cauſas notas,
Docesque docto, docte WIRDIGI, libro:
Qua plurimus ſe Spiritus rotet viâ,
Magnus cerebri, magnus hoſpes ſanguinis,
Artusque ſegnes nervulosque vellices:

Doces, ut ille sæpè cognatis potens
Armetur astris atque mistus ætheri
Radio curuli siderum vectas bibat
Mergatque vires corporum recessibus,
Quæ pingat ille mentibus phantasmata:
Ut stringat arcto corda amoris fascino
Verus Cupido, vera fingens vulnera.
Affectuumque promicondus omnium.
Morumque temperator atque sensuum:
Fœcundus ut sit ille morborum parens,
Cùm perduelles hinc & illinc mutuis
Sensim Quirites provocantur præliis,
Venæque lenis ustulantur ignibus:
Quo putris adflet Spiritus contagio
Viciniores; queis feratur motibus
In res remotas, quasque mirus exerat
Vertumnus artes imputatas sæpius
Infa-

Infamibus Ditis maligni fraudibus,
Hæc eruditis differis tu paginis,
Qui quicquid errorum eſt, vaporum, nubium
Diffles vel uno diſſipesque Spiritu.
Conſpirat ecce! tot tibi ſuffragiis
Natura rerum, cujus auguſtiſſimus.
Cœptis Senatus, ut puto, plaudet tuis.
Qui glorioſum Regis auſpiciis ſui
Sophies tribunal inter Anglos erigit.
Nî fallor Ipſa nunc Tibi ſe mancipat.
Hygeia totam ſtatque legibus tuis.
Cui Spiritus dum reddis, ac iſtos ſibi,
Omnem ipſe vectigalem habebis Spiritum,
Iſtique jungent Spiritus ſeſe tuis,
Ut integros haurire ſemper, vividos,
Agiles, perennes, nec remiſſus viribus
Tot inter exſpirare Spiritus queas.

Deproperat inter plurima negotia

Daniel Georgius Morhofius.
U. J D. & in Illuſtri Kilonienſi Acad. Prof.

Emblematum analysis.

FAbulæ Poëtarum, non sunt levia quædam, & frugis expertia otiosorum hominum commenta, imo sub eis velut involucris atque integumentis, omnis doctrina elegans, omnis ingenuo homine digna cognitio, omnis deniq; sapientia continetur. Ingeniosi Poëtarum fingunt Jovem mortalibus ex indignatione ignem denegasse: Vel Deucalionem exanimes ex lapidibus, vel potius ex terra & elementis homines generasse, Promethea Minervæ consilio & auxilio cœlos conscendisse, ignemque pro animandis mortalibus clam sustulisse.

Prometheus fuit vir quidam; Philosophiæ naturalis primi seculi peritissimus, ille consilio Minervæ, hoc est, ingenii acumine, cœlos conscendit, hoc est, indagavit cœlorum

& astrorum virtutes & influentias, transtulitque ignem ex Sole, distribuitque eum inter mortales, exanimesque vivificavit; hoc est docuit & demonstravit homines ex elementis seu humo natos, vivere ex igne, & Spiritibus astralibus. Propterea in priori emblemate Solari Prometheus introducitur tradere lampade ignem cœlestem solarem sublunaribus, Cupidini præprimis, qui ignem seu Spiritus geniales, vivificantes, multiplicabiles Deucalioni & ejusdem uxori Pyrrhæ, pro animandis, ex saxis & lapidibus natis infantibus; nec non Diis & Deabus terrestribus; Veneri pro prolificandis hominum seminibus; Pani pro fœcundandis animalibus brutis; Floræ, pro vegetandis vegetabilibus calidis; Cereri & Baccho pro maturandis frugibus & vino: Vulcano, pro reliquis usibus humanis reddit & suppeditat.

In posteriori Emblemate Lunari, hyberno

hyberno & nocturno, itidem introducitur idem Prometheus subsidio Minervæ ex Luna surripere ignem ex Luna Lunarem frigidum seu spiritus Lunares frigidos, eosdemque Mercurio (qui juxta Chymicos principium rerum naturalium) tradere, qui eundem ignem frigidum Saturno frigido, seu plumbo, metallorum primo, auro leproso, reliquisque metallis; Neptuno, pro mari, aquis & aquatilibus; Floræ, pro vegetabilibus frigidis, opiatis, papaverinis, cichoraceis; Hyemi, pro conglaciandis rebus; Seni, mortem desideranti, pro fugandis Spiritibus calidis; ipsi Morti, pro vita & Spirituum igneorum radiatione extinguenda, offert, insinuat.

Bono cum Deo!

IN MEDICINAM SPIRITUUM.

Proëmium.

Spiritus esse sanitatis & morborum subjectum.

Summaria.

1. Medicina ars longa. 2. Medicus perfectus. 3. Methodus docendi & discendi Medicinam. 4. Desiderium autoris. 5. Institutistarum laus. 6. Omnis morbus unico curatur medicamento. 7. Vita, sanitas, morbus, consistit in Spiritibus. 8. Spiritus, medicinæ subjectum. 9. Sanitatis causa & morborum, sunt Spiritus. 10. Sanitatis formalitas est potentia. 11. Potentia inest Spiritibus. 12. Spirituum affectiones naturales. 13. Præternaturalis Spirituum constitutio consistit in tribus. 14. Medicinæ Spirituum præstantia. 15. Spiritus sunt mundus invisibilis. 16. Methodus agendarum & Elenchus.

1. ARtem Medicam longam esse & satis prolixam, olim ex

ex publica cathedra in prælectionibus Methodi medendi prolixè demonſtravi.

A perfecto enim hujus ſeculi Medico requiritur non ſuperficialis duntaxat ſanitatis, morborum & medicamentorum cognitio, ſed ampliſſima inſuper variarum rerum ſcientia.

2. Perfectus Medicus unà debet eſſe Logicus, ut habeat ratiocinandi, & unum ex alio colligendi habitum. Metaphyſicus, ut ſciat communes terminos. Aſtronomus, ut calleat temporum mutationes, viciſſitudines & revolutiones. Aſtrologus, ut præſciat ſiderum influxus. Phyſicus, cùm, ubi deſinit Phyſicus, Medicus incipiat. Artem noſtram Medicam longam eſſe ſatis & prolixam, affirmant omnes unanimiter uno ore Medici. Hippocratis aphoriſtes inquit: Ars longa.

3. Cum primis autem ii qui Methodum docendi & diſcendi Medicinam præ aliis ſcripſerunt, inter

quos etiam eſt Kyperus,qui integro volumine operosè oſtendit, quæ diſcenda ſunt omnia ſtudioſo & Medicinæ Candidato, priusquam nomen veri Medici mereatur.

4. Ego autem 28. hactenus, & quod excurrit, ab hinc annis anxiè deſideravi; annon in compendium quoddam redigi poſſit univerſa noſtra adeò operoſa,& ex tot Medicorum voluminibus coagmentata Medicina?

5. Tentarunt illud, & quidem haut infeliciter Inſtitutiſtæ,qui univerſam Medicinam in gratiam tyronum in compendium quoddam redegerunt,& in quinque partes diviſerunt.

6. Ego verò hac Inſtitutiſtarum induſtria nunquam ſatis laudanda nondum contentus,cœpi cogitare, annon in unicum aphoriſmum univerſa Medicina cogi poſſit & compingi? Legi enim & expertus ſum, omnem morbum non rarò ſolâ natura, à nonnullis unico tantummo-

do medicamento amputari; obripuit itaque mihi ſuſpicio, omnem morbum in præternaturali conſtitutione unius entis conſiſtere.

7. Re vel centies, penſius citro retroque conſiderata, pronunciavi tandem, ſanitatem pariter & morbum, ipſam etiam vitam & mortem conſiſtere in SPIRITIBUS, omnemque Medicinam unicè occupatam eſſe circa ſpiritus.

SPIRITUS

8. Subjectum ſunt Medicinæ, Spiritus ſubjectum ſunt & cauſa efficiens ſanitatis & morborum.

Inſtitutiſtæ communiter ſubjectum Medicinæ ſtatuunt corpus humanum, quatenus ſanitate præditum eſt, & morbis obnoxium. Corpus autem humanum ſanum nec dici, nec eſſe poteſt ſine ſpiritibus, cùm ſine ſpiritibus (præſente etiam anima) ſit quaſi merum cadaver, ut ex ſeqq. patebit.

9. Subjectum itaque & ſanitatis cauſa efficiens ſunt ſpiritus.

10. Sanitas ab Institutistis describitur; quod sit potentia actiones exercendi. Sanitatis itaque formalitas est potentia naturales actiones exercendi: illa autem ipsa potentia non potest esse aut dici de corpore sanitate prædito, nisi spirituum præsidio, subsidio, beneficio. Spiritus enim sunt illi ipsi, qui in corpore animalium exercent illam ipsam potentiam: Spiritus sunt subjectum & causa efficiens principalis sanitatis, positis spiritibus radiantibus, ponitur vita, Sanitas & Morbus, amissis & extinctis, ponitur Mors.

11. Potentia, ut notum, est qualitas tantùm & accidens: Illa autem potentia necesse est insit subjecto viventi, spiritibus nimirum, qui eam exercent. Morbus tanquam impotentia, necesse est; dicatur de subjecto quodam aliàs activo, nimirum spiritibus: Sanitas est in ente vivo, sanitatis subjectum sunt partes corporis viventis, partes autem corpo-

ris sine spiritibus viventes esse non possunt, quod apparet in membro sphacelo correpto, quod spiritibus destitutum Medicinæ non amplius capax est, sed tanquam cadaver & immedicabile vulnus ense recidendum est.

12. Sanitatis itaque subjectum sunt Spiritus. Affectiones Spirituum naturales sunt.

1. Vita seu vividitas, vigor, sensatio; vis generandi, vegetandi, sese multiplicandi in infinitum, creandi Ideas.

2. Subtilitas, tenuitas, teneritudo, penetrabilitas, pernicitas, homogeneitas, simplicitas, puritas, serenitas.

3. Caliditas, igneitas, lumen, luminositas, pelluciditas, claritas, radiatio, illuminatio.

4. Mobilitas, levitas, circulatio, irradiatio, velocitas, influxus, extensio, robur, activitas.

5. Humiditas, dulcedo.

De his fusius c. 18. libri hujus primi.

Ipsi autem morbi & symptomata sunt impotentia actiones naturales exercendi, à præternaturali Spirituum constitutione proveniens.

13. Præternaturalis autem Spirituum constitutio consistit

1. In qualitate; & quidem in densitate, spissitudine, crassitie, nigrore, obscuritate, tenebricositate, partim in impuritate & aciditate. 2. In quantitate aucta, seu copia; partim imminuta, seu defectu. 3. In motu concitato & imminuto; motu orgastico, intumescentiæ, iracundiæ; motu enormontico, & tandem motu trepidationis, vibrationis, convulsionis.

Hanc Spirituum p. n. constitutionem enucleabit uberius l. 2. c. 1.

14. Spirituum cognitio & doctrina exhaurit omnem Physices & Medicinarum scientiam & abyssum, nullius enim actionis naturalis & præternaturalis solida & genuina reddi potest causa, nisi ex Spirituum essentia, naturali & præternaturali

eorun-

eorundē constitutione, eoque nomine doctrinam hanc Medicis æque ac Physicis pronunciavi utilissimam.

Utramque ita paginam absolvent spiritus, in Medicina quicquid imposterum dicturi, in Physica & tota rerum natura autores semper spiritus allegabimus.

15. Cum videamus, mundū visibilem utrobique regi, gubernari & conservari ab invisibili.

Non memini doctrinam hanc à quopiam autore meritò esse tractatam. Sennertus aliquot paginis absolvit eam, *W*alæus aliquot paragraphis; Bakius planè rejecit spiritus: Scitu tamen Medico cumprimis admodum necessariam scientiam hanc judicavi, cùm, ut jam dictum, in naturali eorundem constitutione ipsa vita consistat ac sanitas; in præternaturali autem morbus.

16. Priusquam autem ulterius pergamus, instituti nostri intentionem, methodum breviter, tractandorum delineabimus & exhibebi-

mus Elenchum, ut quid imposterum in nova nostra & curiosa Spirituum Medicina expectandum sit, maturè norint Dnn. Studiosi Philiatri.

Primò in prolegomenis agemus de Spiritibus propriè ita dictis. DEUS enim est, & dicitur Spiritus: Genii sunt Spiritus; anima humana est Spiritus.

LIBRO PRIMO, DE SPIRITIBUS, corporibus subtilissimis, tenuissimis acturi XII. capitibus prioribus; 12. proponemus paradoxa, & quidem

CAP.

LIBER SECUNDUS

Morbidam seu p. n. Spirituum dispositionem, causas, curationes, & eorum ad naturalem statum reductionem exhibebit.

CAP.

PRO-

PROLEGOMENA
agunt
DE SPIRITIBUS
propriè ita dictis.

1. Differentia Spirituum. 2. Deus est Spiritus. 3. Genii sunt Spiritus. 4. Geniorum lux & radiatio. 5. Dœmonum natura tenebricosa est. 6. Genii sunt in creaturarum serie. 7. Anima humana est Spiritus. 8. Deum habet parentem, & immortalis est. 9. Hinc magnetismus & animæ ad Deum desiderium. 10. Affectiones & idiomata à Deo quas habeat adhuc superstites. 11. Affectus humani brutales sunt, & animæ sensitivæ seu Spirituum actus. 12. Anima qualitatibus manifestis obnoxia non est, nec astrorum influentiis. 13. Cum corpore conjungitur mediatè. 14. Corpus est animæ habitaculum. 15. Status animæ separatæ. 16. Ejus & geniorum loquela. 17. Radiat. 18. Conclusio & recapitulatio προλεγομένων.

1. SPiritus sumitur tripliciter 1. pro eo, quod planè immutabile est, ut Deus. 2. pro eo, quod materiæ expers est, ut Angelus. 3. pro corpore tenui & subtilissimo.

2. Et primò quidem Spiritus est & vo-

&vocatur Deus,& quidem propriè, est enim Spiritus & essentia simplicissima, Spirituum Conditor; Hinc dicitur Pater luminum, Lux, Lumen inaccessibile, ignis consumens, quē nemo videre potest, propter igneam vim consumtivam, quam exigua Spirituum nostrorum flammula perferre non potest.

3. II. Genii Spiritus sunt, à Deo, vel verbo vel nutu ex nihilo, aut ex certâ quadam materia maximè simplici, spirituali, lucida, ignea creati, hinc ob nimiam simplicitatem & subtilitatem non conspiciuntur, non secus ac aër, cœlum & ignis rarefactus invisibiles sunt.

4. Geniorum tamen lux concentrata & hinc visibilis adeo violentæ radiationis est, activitatis & penetrantiæ, ut Daniel sanctus Propheta conspectum Angeli perferre non potuerit, sed in animi deliquium ceciderit.

5. Lucida ea Geniorum natura post eorum lapsum maxima ex parte

amissa

amissa est,&in tenebricosam,obscuram, horribilem, abominabilem, propter divinæ illuminationis privationem mutata. Non secus ac aër,licet lumen sit,in loco subterraneo aut camera obscura non illuminatus, fit tenebricosus; ita Dæmones post lapsum, ex privatione illuminationis divinæ quasi tenebrefacti, seu tenebriones & tenebricolæ facti.

6. Genii qualescunque sint, cùm sint in creaturarum & naturæ censu, supranaturalia patrare non possunt,sed naturalia tantùm.

7. III. Anima revera est Spiritus, DEUS enim animam soli homini inspiravit;

8. Cùm itaque DEUM habeat immediatè parentem, immortalis est, & in DEUM redit, à quo venit; propterea Adam dicitur filius DEI, eoque nomine etiam omnes homines hinc inde in sacris filii DEI dicuntur.

9. Hinc naturalis ille animæ immor-

mortalis appetitus, desiderium, magnetismus, motus & tractus ad DEUM, à quo inspirata illa est, & infusa homini. In rebus quibuscunque caducis, sibi dissimilibus quietem reperire non potest, quiescit autem in solo DEO, autore, parente, productore suo, non secus ac ignis ob identitatem desiderat & tendit ad ignem, terra ad terram, flumina ad mare, aër ad aërem; ita naturali quasi instinctu, ductu, tractu, raptu, desiderio, divinæ particula auræ desiderat DEUM, & trahitur ad autorem suum, à quo creata est, & corpori inspirata. Corpus autem hominis terrestre, suo desiderio, appetitu & magnetismo terram, Spiritus aërem appetunt & astra.

10. Unà cum anima, tanquam divinæ auræ particula inspirata, insparatum est homini lumen, bonitas, amor, charitas, misericordia, justitia generositas, imperium, creatio, præscientia, immortalitas. Quæ

reliquiæ

reliquiæ adhuc sũt divinæ imaginis. Post lapsum enim amisso maximam partem, extincto, excellentissimo animæ lumine & splendore, amissæ unà sunt divinæ dotes, justitia originalis, notitia DEI certior, corporis immortalitas.

11. Affectus libidinis, iracundiæ, vindictæ, actus sunt merè brutales, fructus & producta Spirituum, seu animæ sensitivæ. Spiritus enim & eorum affectiones nobis cum brutis communes sunt.

12. Anima injuriis qualitatum elementarium obnoxia non est, hinc nec senescit, nec attenuatur aut imminuitur more Spirituum animantium: Nec astrorum influentiis, cùm sit Spiritus immaterialis, afficitur, eæ enim non ingrediuntur constitutionem animæ, cùm sit divinioris originis, & propterea nec symbolisatio est inter animam & astrorum influentias seu Spiritus.

13. Cum corpore conjungitur, non immediatè, sed mediantibus

Spiri-

Spiritibus , corpuſculis minutiſſimis ; mediam naturam inter animam & corpus habentibus. Immediatè cum corpore non poteſt conjungi, cùm maxima ſit latitudo inter animam , tanquam Spiritum immaterialem & inter corpus.

14. Corpus eſt animæ habitaculum , tabernaculum tenebricoſum , laterna opaca , carcer tenebricoſus: Ita Eraſmus. *Corpus veſtis eſt animæ: Ipſe Dominus JESUS ſuum corpus Templum appellat. Et Petrus Apoſtolus ſuum corpus tabernaculum. Nec defuerunt , qui corpus dixerunt animæ ſepulcrum; alii carcerem mentis appellarunt, nonnulli præſidium velut arcem munitam, &c. Tu es anima corpus circumferens.*

15. Corpore ſoluta , liberè ſine nebula, intuitivè DEUM intuetur omnipræſentem, Angelos, Dæmones, Genios videt, intelligit ad modum Geniorum, eſt in vel potius ſupra intelligentiarum & angelorum cenſum & conditionem , eâdem cum


cum Geniis, vel meliore, cum sublimioris sit originis, conditione gaudet.

16. Loquela Geniorum & animarum separatarum est cogitatio tantùm, idearum revolutio, fluctuatio rerum olim visarum, auditarum, quas ideas fluctuantes angeli & animæ mutuò intuentur: non secus ac somnians ideas, olim sibi impressas videt, cum iisdemque interloquitur.

17. Anima cùm sit lumen spirituale, non mirum, si in pathematibus & forti phantasia in instanti & pernicissimè radiis radiat, & quasi fulgurat, & forti sua radiatione mirabilia sæpe patrat. Bartholinus in tr. de luce animalium p. 266. *Nec animæ lucem inficiamur, sed à nostra luce mortali, mortalibusque aliis communi distinctam, divinioris originis & supra substantiarum sortem ferè evectam; ab hac enim homines dicimur, ut parte altera principe.*

18. Sci-

18. Scimus itaque DEUM homini inſpiraſſe animam, hinc animam divinæ auræ particulam & divinam imaginem ſtatuimus, & ratione divinæ originis immortalem eſſe, divinas habere dotes, quales ſunt facultas creandi, id eſt, ſeſe multiplicandi, quam communiter vocant generandi; habetque facultatem Ideas rerum & pathematum creandi, ſibique metipſi, Spiritibus & corpori, rebus etiam extra ſe poſitis eaſdem imprimendi, imò mirabilia multa, & penè divina alia, cum ea ipſa divina ſit, patrandi.



ERRATA.

In Titulo, pro magnetissimi lege magnetismi.

LIBRO PRIMO.

p.3.l.7. pro speciebus, lege spiritibus l.18. ante Metēps. pone, de p.4.l.1. pro Medicinale, l. Medicinalia, l.7. pro mercescētibus, l. marcescentibus. p.7.l.18. pro probatus, l. probatur. p.14. l.4. pro centratem l. centralem l.5. pro cosmapolita l. cosmopolita. p.15. dele tit. frontalem, & substitue, omnia corpora esse spirituosa. p. 16.l.33. pro fulgines l. fuligines. p.19.20 & 21. numerus paragraphorū bis positus, semel deleatur. p.24 l.12. pro intemperatas, l. intemperatos. p.33.l.ult. pro cicutavia, l. cicutaria. p.45. §.6. pro cū, l. cùm. p.49.l.20. pro constititionem, l. constitutionem. l. seq. pro sapientia l. sopientia p.52.l.ult. pro tacti l. tactu p.53 l.7. pro falsi l. salsi l.14. pro enormantici l. enormontici. p.54 l.20. pro ♂ pone ?. p.60.l.20. pro e-questrant l. sequestrant p.71.l.14 pro saltantis l. saltantes. p.86.l.13. pro ἀσφοζία l. ἀσφυξία. p.87.l.10. pro fæti l. forti. p.104.l.11. dele ♀r. p.107 l. penult. pro loqui, l. coqui. p.100 l.12. post &, pone appetitus. p. eâdem l. ult. pro capescendi, l. capessendi. p.111.l.17. pro fontis, l. fortis. p.121.l.2. pro vegativam, l. vegetativā. p.140.l.16. pro validos lege rabidos. l. 20. pro Catus, l. Canis. p.141.l.1. pro Thedo, l. Rhedo. p.154.l penult. pro spiritus, l. spiritibus. p.155. l. antepenult. pro memorosi, l. memoriosi. p. 174.l.16. pro elementa, l. elemento. p.178.l.4. post ut, pone, &. p.197.l.12. pro charitatem, l. claritatem. p.208.l.13 post Spiritus, pone Occisorum. p.213.l. antepenult. pro cardialgium, l.

n car-

cardialgiam.p.219.l.2.pro fugativi,l.fugitivi.p.231. l.16.pro alius l.aliis. p.232.l.9.pro fœtioribus l.fortioribus,p.236 l.5.pro inter,lege intra.

LIBRO SECVNDO.

Pag.6.l.2.pro διάδεσιν l. διάθεσιν. p.10. l.6.pro alidis,l.acidis.p.14.l.13.pro imminuta l.imminuti. ibid.l.18.pro ἀσφιζία l.ἀσφυξία.p.19.l. 19.pro solivatores l.salivatores. p.2 .l.16. pro actuum l. artuum.eâdem l.antepenult.pro metam,l.metū.p. p.45.l 1.pro sacrificationes,l.scarificationes, p.47. l.5.post sunt,pone.&p.57.l.12.pro copiosos,l.copiosas.pro qui lege quæ.p.99.l.5.dele,tu p.102.l.antepen. pro citrei,l.citrini. p.104.l 1.pro cotripitur l.corrigitur. p.114. l.16. pro Hic,l. Sui. p. 127. In fronte,pro Media l. Inedia.p.156.l.17.pro rationes l.nationes. p 158.l.4.pro dotabit,l.dotavit.p.16 . l.6.pro hyposcyamus, l. hyoscyamus. p.166.l.3. pro ærvinum,l. cervinum. p.186.l.21.pro vornicis l.vomicis. p.191.l.ult.pro transibile, l.tangibile. p.39 .l.ult.pro connubii,l.connubia. p.199. l. antepen. pro dissolubile, l.indissolubile. p.2 3. l.6. pro illa,l.ulla. p.eâdem, l.15. pro donat, l. domat. p 210.l.17.pro saxifragarum,l.saxifragorum p.222. pro Diuceltatosson,l.Diuceltatesson. p.224. l. 2. pro radicatiōnis,l.radiationis. p 225.l.7.pro Elixiviis,l.Elixiris.p.229.l. 20.pro mistis, l. multis. p. 231.l.antepen. pro Non,l.Nos. p.235.l. 11. pro ab, l.ob.p.248.l.2.pro indictum,l.indutum.p.eâdē, l.14. post hosce,pone,morbosos & p. 255.l. 20.pro turbas,l. herbas. p.263.l.13.pro ☉is,pone ⊖ is. p.264.l.ult.pro sufficatus,l.suffocatus.p.274. l.5. pro Becani l.Decani. p.276. l. 17. post viperarum, pone,caro. p.282.l.antepen. pro Luna,l,Lunæ.

IN INDICE.

Lit.A.lin.1 .pro 3. pone 9. A.lin. 18. pro 62. pone 26.lin.31.pro 17.pone 15. F.lin.8.pro 16.pone ibid. I.l.3.pro 17.pone 12. M.l.7.pro c. pone & l.30.dele 16. O.l.2.l.c.22.§.10.P.l. 2.pro c.28. l. 29. Q. l. 1. pro c.21.pone 28.R.l.4 pro 1.pone 28,&c.

F I N I S.



LIBER PRIMUS.

DE SPIRITIBUS, CORPORIBUS SUBTILISSIMIS, TENUISSIMIS.


CAPUT I.

Paradoxon primum.

Animam sensitivam esse Spiritum materialem.

1. Anima sensitiva mortalis est. 2. Omnes actiones animæ sensitivæ sunt à Spiritibus. 3. Agunt pro organorum dispositione. 4. Facultates sublimiores habet à rerum Creatore. 5. Anima sensitiva seuSpiritus sunt in sanguine. 6. Est merus ignis.

I.



Nimalia ex terra creata sunt, hinc anima sensitiva materialis est, & mortalis; nihil aliud est, quàm Spiritus, aut Spirituum congeries, cujus beneficio animal vivit, sentit, movetur, omnesque reliquæ facultates

in animalibus per organa naturaliter dispoſita & conſtituta perficiuntur.

2. Omnes actiones naturales, vitales, animales, ſenſitivę, à Spiritibus peraguntur, per organorum diſpoſitiones. Hinc in harum actionum læſionibus & ſymptomatibus omnes curationes & remedia rectè adhibentur Spiritibus, & ſi culpa ſit in organo, organis.

3. Spiritus, ſi habent organa robuſta, qualia ſunt in Leone, tauro, equo, animoſum faciunt, & generoſum reddunt animal; ſin exigua, debilia, inermia, meticuloſum, qualia in mure, lepore, vermiculis, ſin organa habeant armata, qualia habent animalia unguibus, cornibus, dentibus, aculeis inſtructa, bellicoſa ſunt, audacia, ferocia, pugnacia.

4. Facultatem generandi, ſeſe multiplicandi, animale corpus artificiosè formandi, originaliter habent à conditore, ex benedictione creationis.

5. Deus veſci prohibuit ſanguine ani-

animalium, cum anima, hoc eſt, Spiritus ſint in ſanguine; ubi per animam Spiritus eorum intelliguntur, qui confertim & in copia in ſanguine generantur. Ratio prohibitionis forſan eſt, quod mortis formido & idea ſpeciebus impreſſa, Spiritus veſcentium trepidantes reddat, meticuloſos & convulſivos. De luce animantium (quæ lux ex eorum radiat Spiritibus) curioſum lege tractatum Ingenioſi Bartholini & Voſſii, qui doctrinam, quam in libro ſuo de lumine docuit, defendit, & monſtrat, animalium animam non eſſe niſi ignem.

6. Plura de anima ſenſitiva materiali vide c. 21. Metempſychoſi Pythagorica §. 8. 9.

CAPUT II.

Paradoxon ſecundum.

Animas vegetabilium eſſe meros Spiritus.

1. Vegetabilia per Spiritus vegetantur & vivunt, 2. Stata ſuæ nutritionis habent

tempora. 3. Medicinales sunt ratione Spirituum.

1. VEgetabilium animæ meri sunt Spiritus, Spirituum enim beneficio vitam suam vivunt, crescunt, augentur, vegetantur, multiplicantur: mercescentibus Spiritibus, intereunt, moriuntur; Facultatem & desiderium sese multiplicandi habent ex benedictione gloriosi Conditoris. Schröderus in Pharmacopœa sua l.1.c.5. *Spiritus nihil aliud est*, inquit, *quàm principium cujuscunque rei formale, actionumque scaturigo.*

2. Vegetabilia post mediam noctem succum attrahunt: sole oriente, & in hæmisphærio orientali existente, crescunt; post meridiem maturant, coquunt & sibi assimulant alimentum. Rem ita se habere, norunt mecum ii, qui non nudis duntaxat ratiociniis indulgent, sed certis demonstrationum & experientiarum fulcris observationes suas stabiliunt.

3. Spi-

3. Spiritus vegetabilium distinctè medicinales sunt, ratione diversæ dispositionis: alia enim Spiritus habent serenos, tenues, subtiles, puros, simplices, igneos; alia spissos, crassos, obscuros, tenebricosos, impuros, &c. plura de his animabus vid. c. 21.

CAPUT III.
Paradoxon tertium.

Cœlum esse Spiritum.

1. Cœlum est quinta essentia. 2. Est expansum immensum. 3. Agit more Spirituum.

1. Cœlum, cum etiam Aristoteli sit, & vocetur quinta essentia, corporum ordini eximere, & in Spirituum classem promovere debuimus; Est enim ingenerabile, incorruptibile.

2. Hebræis dicitur Rakia, expansum, per expansionem, & nimiã extenuationem in immensum, factum est Spiritus subtilissimus, tenuissimus; non secus ac Chymici corpora

attenuatione per ignem redigunt in Spiritus, eodem modo & cœli materia attenuatione, merus evasit Spiritus, seu corpus subtilissimum, tenuissimum. Hinc quicquid agit cœlum, more Spirituum agit, de ejus actione vide libri hujus c. 26. §. 2.

CAPUT IV.

Paradoxon quartum.

Astra esse Spiritus & ignes concentratos.

1. Astra radiant ignes. 2. Probatur mechanicè. 3. Testimonio antiquissimæ Turbæ.

1. ASTRA nihil aliud sunt, quàm ignes conglobati, compacti, concentrati, nihilque de se radiant & spargunt, quàm ignes, Spiritus.

2. Hoc patet in Sole ejusque radiis, qui ignei sunt, imò concentrati merus ignis.

3. Idem statuit antiquissima Philosophorum Turba, seu synodus tertia Pythagorica, in quâ vir optimi consilii Iximindrus Senex. *Doceo*

vos,

vos, inquit, *stellas esse igneas.* Helm. sub tit. in Sole tabernaculum. *Ostendi*, inquit, *Solares radios per vitrum unitos esse verum ignem. Si radii luminares connexi, sint verus ignis & ardeant, Sol quoque necessariò tanquam connexorum radiorum centrum ipsum erit longè ferventissimus. Sol ignis ferventissimus luminum creatorum principale in Natura. Sol ignis est in se & prope.* De astrorum virtutibus & influentiis vide plura l. 1. c. 26. §. 8. & seqq.

CAPUT. V.

Paradoxon quintum.

Aërem esse Spiritum.

1. Aër est cœlum. 2. Est Spiritus sensatus. 3. Probatus mechanicè. 4. Testimonio Turbæ.

1. AEr, teste scriptura sacra, nihil aliud est quàm cœlum, nec à cœlo differt nisi impuritate, effluviorum mistione & inquinatione.

2. Est Spiritus sensatus, quia sentit & afficitur calore & frigore, non

ſecus ac alii Spiritus ſenſibiles. Fovetur, extenditur, rareſcit, dilatatur virtute & activitate, ignis Solaris; offenditur, contrahitur, ſpiſſatur frigore.

3. Hoc evidenter demonſtrant Thermoſcopia, in quibus rarefactio, aëris extenſio, compreſſio, contractio manifeſtè conſpicitur.

4. Hæc olim nota fuerunt antiquiſſimis Philoſophis. Iximindrus, in Turba, inquit: *Aër ſpiſſatur, cùm ab eo Sol prolongatur, & tunc hominibus frigus pervenit, aëre verò rareſcente calor pervenit hominibus.*

CAPUT VI.

Paradoxon ſextum.

Aër ægrotat.

1. Quæritur an ſic? 2. Interdum denſatur aër, iterumque rareſcit. 3. Morbidus fit & ægrotat. 4. Febre algida. 5. Probatur fixarum ſcintillatione. 6. Febre intermittente & continua cum exacerbatione. 7 Incorruptibilis tamen eſt.

QVæri poſſet à curioſis, an aër interdum ægrotet? Reſpondeo, quod

quod ſic, cùm aër tanquam Spiritus neceſſariò ſentiat.

2. Patet hoc ex ejus contractione, condenſatione, inſpiſſatione, quâ ſentit, fugit hyberno tempore frigoris injurias; æſtivo autem tempore incaleſcit, extenditur, expanditur fotu, radiis & calore Solis.

3. Quatenus itaque aër ceu Spiritus ſentiens præternaturaliter conſtituitur, denſior redditur, ſpiſſior, craſſior, obſcurior, impurior, à calore & frigore exceſſivo afficitur, vibratione & trepidatione horret & concutitur, eatenus morbidus & ægrotare dicitur.

4. Et quidem hyeme febre algida:

5. Ex frigore enim aërem cum horrore quodam algere vel frigere patet, quòd tunc ſtellæ fixæ magis ſcintillare videantur, quàm æſtate, quæ ſcintillationis ratio non eſt in ſtellis, ſed in aëre ſenſato cum horrore febriente.

6. Vere febre laborat intermittente, propter viciſſitudines frigoris

& caloris; æstate, calidâ, continua cum exacerbatione caloris.

7. Corruptibilis tamen non potest dici propter suam siccitatem, effluvia tamen terrestria in aëre corrumpuntur & putrescunt, confer cap. 27. §. 15.

CAPUT VII.

Paradoxon septimum.

Ignem, lucem, lumen, radios, esse Spiritus.

1. Ignis non potest tangi. 2. Igne conservantur nostri Spiritus. 3. Ignis invisibiliter latet in creaturis. 4. Spiritus est, asserente L. de Comitibus. 5. Tendit sursum. 6. Humidus etiam est.

1. IGnis, lux primigenia concentrata, corpus est subtilissimum, actuosissimum, siccissimum, edacissimum, quod tangi non potest, à nobis in ordinem & seriem Spirituum promotus est. Ignis est Spiritus, & Spiritus est ignis.

2. Igne ob similitudinem & identitatem

titatem Spiritus foventur, conservantur, multiplicantur. Igues in terra, & Spiritus in rebus naturalibus latitant invisibiliter.

3. Ignis ex internis rerum Spiritibus elicitur. Ignis iterum in Spiritus resolvitur invisibiles: totus mundus plenus est igne & conservatur Spiritibus. L. de Comitibus in tr. de metall. p. 127.

4. *Notandum erit*, inquit, *ignem spiritualis esse substantiæ, hoc est, corporeis dimensionibus non esse subjectum, nisi per accidens, dum in corpus accipitur; at in naturali suo statu nullius dimensionis esse participem, demonstratum est in Physicis.*

5. Ignis sursum tendit ratione identitatis cum Sole & astris, ceu ignis, lucis, omnis luminis fontibus, à quibus in hæc inferiora radiat, influit & derivatur, iterumque naturali instinctu eò revertitur.

Lux etiam Spiritus est, lumen, radii, calor, influentiæ astrorum sunt ignis Spiritualis, hoc est, subtilissi-

 mus,

mus, extenuatus, extensus, expansus, emissitius, radians ex igne, Sole, & astrorum corporibus.

6. Siccus dicitur ignis à superante ejus siccitate, humidus tamen est quodammodo, nullibi enim existit, subsistit, visibilis est, nisi in humidis, in Solis & astrorum corporibus suum habet nutrimentum & sustentationem in flagrabili; in sublunaribus & rebus naturalibus è terra nascentibus in pingui, ♃reo, oleoso. Sicut enim Spiritus vini humidus ignis est & totus conflagrabilis, ita & omnes alii ignes. Color ignis diversus est, è diversitate humidi, pinguis, ♃rei, oleosi, cum eo combinati, & commisti. Chymici, ipse Hipp. ignes statuunt humidos.

Caput VIII.

Paradoxon octavum.

Omnia corpora esse spirituosa, ex Spiritibus coagulata.

1. Terra in se habet Spiritum. 2. Ex foliis arefactis

arefactis semina format. 3. Experimentum autoris. 4. Terra ignem continet, quo mineralia fovet. 5. Analyses Chemicæ docent, corpora constare ex Spiritibus. 6. Inflammabiles enim sunt, conflagrabiles, medicamentosi. 7. Veteres vocarunt atomos. 8. Declaratur per exempla mechanicè. 9. Mercurius, Mercurialia, ♀rea Spiritus sunt.

1. NOn autem jam enumerata solùm Spiritus sunt, universa Natura plena est Spiritibus, imò ex Spiritibus coaluit.

2. Ipsa terra, quæ caput mortuum multis videtur, suum in se habet Spiritum prolificum, cujus bonitate, sollicitudine, activitate semina producit & excludit.

3. Id quod aliquoties observavi, quando Novembri folia brassicæ rubræ ex infima caulis parte, flaventia, flaccida, decidua, decerpsi, convolvi, involuta obsoleto linteo, strenuè funiculo constricto, sub terram defodi, vere iterum erui: inveni corruptorum foliorum fibris ad hæ-

fiſſe braſſicæ ſemina. Idem mihi evenit cum foliis calendulæ.

4. Terra ignem ſuum habet centratem, ex quo horribiles ſæpè flammas eructat, ut Coſmapolita in 12. ſuis tractatibus, nec non Kircherus in mundo ſubterraneo demonſtrant. In ſinu ſuo fovet mineralia, per Spiritum ſuum ſemetipſam metallis imprægnat, & gemmis, quæ aſtra ſunt terreſtria, lucem habent, radios de ſe ſpargunt: imò nullum corpus naturale eſt, ſuum quod non habeat lumen, univerſa Natura plena eſt, gubernatur, conſervatur Spiritibus.

5. Demum omnia corpora naturalia coagulata eſſe & compoſita ex atomis ſeu Spiritibus ſubtiliſſimis, actuoſiſſimis, evincunt analyſes, ſolutiones & reſolutiones, cumprimis chemicæ, quæ per communem hujus mundi tortorem fiunt, Ignem, optimum analyſtam, qui omnia coagulata reſolvit in ſua principia, ceu partes ſubtiliſſimas, quas Spiritus

dicimus,

dicimus, qui corporum ſubtiliſſimæ particulæ, per fermentationem, deſtillationem & ſublimationem vi ignis ex animalibus, vegetabilibus & mineralibus, exprimuntur, ignei ſunt, inflammabiles, medicamentoſi.

6. Subtiliſſimas haſce corporum particulas veteres & neoterici nonnulli atomos vocitant, nos autem cùm actuoſiſſimæ ſint, *Spiritus* eas appellitamus.

8. Quando, v.g. igni carbonum ſubjicio ſulphur vivum, vel reſinam quandam; illa reſina & ſulphur reſolvitur vi ignis in fumum, hoc eſt, in partes ſubtiliſſimas, tenuiſſimas: reſinæ enim vel ſulphuris vivi, grani piperis magnitudine, particula reſolvitur, & adeo extenditur, ut fumus ejus, *Spiritus* ſeu atomi repleant, integrum occupent & ſat capax conclave: hanc autem fumoſitatem Spiritus eſſe medicinales, evincunt, 1. ipſi Medici, qui in peſte aliisque multis morbis inſtituunt & præſcribunt

bunt talia ſuffimigia, cum primis autem in morbis mulierum & puerorum. 3. Odor gratus & ingratus, afficiens corporis noſtri Spiritus. 3. Inflammabilitas.

9. Idcirco in Spirituum familiam, & alia meritò poſſemus recipere, v. g. Mercurium, ſeu argentum vivum, qui merus eſt penetrantiſſimus Spiritus, præſertim in fumum ſi reſolvatur: Antimonium ♁ commune, arſenicum, aliaque mineralia & gummata, quæ, ſi in fulgines & ſubtiliſſimas atomos ignis vigore redigantur efficaciſſimos eſſe Spiritus, olim in terrâ coagulatos, tota die deprehendimus.

Caput IX.

Paradoxon nonum.

Frigus eſſe ignem, & Spiritum frigidum.

1. Frigus eſſe ſubſtantiam, demonſtratur. 2. Agit in omnes res naturales. 3. Supprimit & ſufflaminat quaſi plantarum vegetationem.

rationem. 4. Agit in ignem. 5. Omnes Spiritus fugiunt & horrent frigus. 6. Aër & aqua. 7. Vastus Oceanus. 8. Terra. 9. Gelu metalla contrahuntur. 10. Manifestæ frigoris actiones. 11. Frigus est ignis frigidus. 12. Demonstratur.

PLura adhuc tentabo paradoxa, ut eò melius Spirituum innotescat formalitas, natura, & eorundem medicina. In ordinem Spirituum promovebo FRIGUS & TENEBRAS, necnon IDEAS. Inaudita ut ut sunt, nemini tamen cavillandi vel calumniandi, opponendi tamen, & in naturam inquirendi potius suppeditabo ansam.

1. Et primò quidem FRIGUS substantiam esse spiritualem mihi incumbit probare, sequenti modo.

Frigus & æstus seu calor sunt opposita, ipso JEHOVAH ita dictante Genes. 8. v. ult. Cunctis diebus terræ sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies nō requiescent. Oppositorū autem eadem est ratio, sciētia & disciplina. Cognitione itaque caloris, perveniemus in cogni-

cognitionem frigoris. Ratio caloris est substantia, ratio itaque frigoris seu frigiditatis etiam erit substantia. Calorem ignis, esse substantiam, præcipui hujus seculi Philosophi probant.

2. Frigus substantiam esse paradoxon hactenus est. Probo tamen inde, 1. quia grando, nix, glacies, gelu, frigus, laudant Deum, teste Scriptura. 2. quia agit in omnes res naturales, in hominem, animalia & vegetabilia, in elementa, ignem, aërem, aquam, terram & elementata, utique ergo erit substantia. Actio illa sensibus est manifestissima, & primò quidem activitas, actio & vis frigoris in hominem animalium calores seu Spiritus sese exerit, extinguendo, suffocando, fugando eos: Spiritus calidi, ad occursum & invasionem frigoris, tanquam hostis, horrore horrent, trepidant, sese contrahunt, concentrant, fugam meditantur à frigore, tanquam substantia sibi inimicis-

micissima, è diametro sibi contraria, offensissima, internecionem, extinctionem, mortem & interitum minitanti, iisdemque molienti. Jugulat frigoris substantia homines, animalia, & vegetabilia, activitate sua & igne frigido, Spiritus calidos fugando, è corpore excludendo, ejiciendo, exturbando. 3. tyrannidem suam substantia frigoris non minus in animalia, quàm vegetabilia exerit.

3. Hyeme enim Spiritus vegetabiles sese contrahunt, vegetatio cessat, attractio humoris alimentarii præ metu & timore sopita est, augmentatio itaque occulta est & latet.

4. 4. Imperium sibi arrogat Frigus in Ignem, ita ut intensissimum candelam extinguat. Calor, absente Sole, & ignis in aëre, vel fontem suum repetit, vel in terram, sese insinuat & abscondit, hinc loca subterranea hyeme calida sunt, propter circumstans in superficie frigus,

gus, ceu hostis debilem ignem obsidens.

5. 5. Omnes Spiritus calidi frigoris fugiunt injurias, quod ex eorundem concentratione apparet, e. g. Spiritus vini, in vini & dolii centrum sese subducunt & concentrant. Cumprimis autem frigus non nudam esse privationem, sed substantiam maximè activam, demonstrant horrores febrium & rigores. In iis deprehendimus frigus agere in Spiritus calidos, tali cum impetu & violentia, ut pro avertendis frigoris injuriis & activitatibus, universum concutiant corpus, tot pulvinaribus calorem revocantibus involutum, ut autem tenebræ lumini, ita frigus tandem cedit calori.

6. Aër etiam metuit & fugit frigoris injurias & imperium, ut patet ex thermoscopiis. 6. Aqua lorica sese contra hostile frigus armat, defendit, fluidam suam deserit & negligit naturam, & in duram sese commutat glaciem. Oleum nun-

nunquam congelat, merus enim ſpiritus eſt, & ignis penitus conflagrabilis, idcirco ingelabile eſt.

7. 7. Ingens & vaſtus Oceanus, ad occurſum Lunæ & ejusdem radios frigidos contrahit ſeſe, & ob compreſſionem ſeu potius fugam limites ſuos & littora transgreditur in fluxu maris. Ea forſan ratio eſt, quod terra ſub polis; ſeu potius mare glaciale, oceanus hyperboreus acuminatus ſit & ovalis, propter fugam aquarum, & à frigoribus conſtrictionem.

8. 8. Terra adeo ſeſe contra frigus contrahit, ut aquam, quam paulò ante imbiberat, iterum exprimat, & ſiccior permanere malit ſola, & tamen gelu in ipſam terram ad duas interdum ulnas penetrat.

9. 9. Omnia omnino metalla gelu contrahuntur. Videtur quidem res valde admiranda, quamq; vix erunt, qui credent. Azutus verò experientiam ejus inſtituit, & obſervavit tubum ex bractea ferrea confe-

confectum 12. pedes longum, frigori expositum ad duos etiam articulos fuisse decurtatum.

Frigus itaque non nudam duntaxat privationem, sed substantiam esse in omnia sublunaria actuosam, imperiosam satis & injuriosam probavi ex actionibus ejus, quæ sat manifestè sensibus sentiuntur.

10. Sicut enim ignis Solis calidus agit, urit, exsiccat, consumit, mortificat; eodem etiam modo & frigus seu ignis frigidus excessivus agit, exsiccat, urit, Spiritus extinguit, mortificat, fugat, extermi-nat, ejicit, idcirco egelida minus spirituosa, alimentosa, & salubria sunt, ac non gelata, paucioresque in destillatione fundunt Spiritus. Spiritus frigoris catarrhorum causa est, fugat enim & necat Spiritus calidos, quibus fugatis sequitur colliquatio affluentis alimenti.

Jam ulterius investigare debemus, quo nomine appellitanda sit, & unde ad nos deferatur substantia

ſtantia illa frigida , ſeu ignis frigidus.

11. Cùm oppoſitorum eadem ſit ratio, ſcientia & diſciplina, reſpondemus , ut calor eſt ignis Solis ſeu Solaris, qui calidus eſt , & à Sole tanquam fonte ad nos radiat ; ex oppoſito Frigus erit ignis frigidus ex Luna ad nos demiſſus.

12. Frigus frigidum ignem eſſe monſtrabo ex igne calido; calidus ignis ; 1. urit; frigidus ignis etiam urit ; vere adurit tenera germina. In Inſulis Antillis durante hyeme omnia progerminant ,agriq; omnes ſunt virides. Durante verò æſtate, plantæ maximam partem intermoriuntur , arboreſque foliis deſtituuntur. Ex quibus patet exceſſum caloris in iſtis Inſulis eoſdem producere effectus, quos frigoris exceſſus in Europa,ut enim Sol urit & adurit in Antillis omnia vegetabilia , eodem modo & frigus in noſtris regionibus. 2. Ignis calidus exſiccat, eodem etiam modo & frigidus ; madida

madida linteamina frigore ſiccantur. 3. Ignis calidus dolorem infert & exulcerat: Ignis frigidus dolorem infert & exulcerationem. 4. Ignis calidus exceſſivus mortificat res naturales: ignis frigidus eaſdem calamitates rebus inferre valet. Ignis & calor moderatus fovet, fomentat Spiritus: frigus modificatum ſeu aura frigidiuſcula refrigerat, temperat æſtuantem aërem, intemperatas, ferventes, luxuriantes, ferocientes Spiritus. Sicut itaque ignis calidus agit, exſiccat, urit, dolorem infert, conſumit, mortificat: eodem etiam modo ignis frigidus agit, exſiccat, urit, Spiritus fugat, mortificat.

CAPUT X.

Paradoxon decimum.

Frigoris fontem eſſe LUNAM.

1. Radii Lunares concentrati frigidi ſunt. 2. Urunt. 3. Noxii ſunt valetudini. 4. Ignis frigidus modificatus naturæ conveniens

niẽs est. 5. Ignis frigidus est in superioribus & inferioribus. 6. Gratus est 7. Suppolarem terram reddit inhabitabilem. 8 Ignes in inferioribus frigidi. 9. In hominibus. 10. In moribundis & cadaveribus. 11. In mineralibus. 12. In aquis & aquatilibus. 13. Animalibus. 14. Vegetabilibus.

TAndem curiosi seriò desiderabunt fontem ignis frigidi. Ego, ut dixi, alium in rerum natura, qui tam inexhausta, Spiritus frigidos eructat catarrhacta; non invenio, nisi Lunam. Quemadmodum enim Sol fons est ignis calidi: ita Luna erit fons frigidi ignis.

1. Frigus autem esse Spiritum Lunarem monstrabo, 1. per mechanicam. Radii Lunares collecti per lentem seu speculum concavum, frigidi sunt, & igne suo frigido Spiritus, verrucarum vegetantes enecant.

2. 2. Luna urit, non calore, ergo frigiditate: ita inquit Psalmista Regius, Psalmo 120. *Per diem Sol non uret te, neque Luna per noctem* vel. *Interdiù Sol non percutiet te, & Luna*

in nocte. Quicunque igitur radii Lunares urunt, percutiunt, ignis sunt frigidus.

3. 3. Quia Lunæ radii, α. dolorem inferunt capiti, β. ingenii stupiditatem. γ. capitis imbecillitates, aliaqua valetudinis incommoda. δ. cadavera iis exposita, ranamque, ut Helmontius perhibet, in gluten aquaticum liquefaciunt.

4. Distinctio autem inter ignem calidum & frigidum nullam mihi videtur inferre absurditatem, cùm uterque Ignis naturalis, modificatus, æque naturæ conveniens sit, gratus, & pro conservandis sublunaribus summè necessarius: calidus quidem pro modificando frigore, frigidus, pro temperandis Solis ardoribus; excessivus uterque, urens, consumens, tortor, rerum sublunarium Analysta.

Talis ignis frigidus est & reperitur in superioribus & inferioribus. In superioribus satellites eo nomine planetis sunt associati, qui talem viden-

videntur habere ignem frigidum, pro modificando igne Solis calido excessivo, comburente: Satellites ♄us habet, circulos nimirum, aut appendices. ♃is satellites, sidera Medicéa, frigidam ei afflant auram. ♀us benigna & Mercurius Solis individui comites calorem Solarem mitigant & temperant. ♂tis laterones nondum visi, forsan ii alii seculo microscopiâ, exquisitissimis instrumentis detegendi, reservati. Luna terræ proximissima est, ejus quasi ancilla, flabello suo frigidam terræ auram afflat, pro temperando Solis calore, quam auram Cosmopolita aërem vocat; ita enim loquitur tr. 11. *Solem cœlestem & ejus calorem temperat aer, qui de die in diem circumvolat orbem: & nisi hoc esset, calore tali res omnes consumerentur, nec quicquam nasceretur.* Hermes inquit; *Quod est superius, est sicut id, quod est inferius, & quod est inferius, est sicut id, quod est superius.* Si itaque in superiori-

rioribus ignis datur calidus & frigidus, utique vigore Philoſophiæ Hermeticæ etiam in inferioribus tales habebuntur ignes, & vice verſa. Neceſſe enim eſt mutuas caloris eſſe & frigoris modificationes, viciſſitudines, alioquin ignis Solaris omnia combureret, perinde ac intensũ frig⁹ omnia extingueret & enecaret.

6. Ignis Lunaris frigidus per inſpirationem attractus corporis noſtri Spiritibus gratus eſt, eos refrigerat, & cũ eis circulatur, quæ refrigeratio ſeu refrigerium notabiliter in ferventiſſima æſtate, intemperie Spirituum calida, & febribus cum delectatione & levamine percipitur. Ignis hujus frigidi activitas apparet, & cumprimis ſenſibilis eſt hyeme, quando ☉ à nobis elongatur in ſignis auſtralibus; quando radiis ſuis obliquis, minus reciprocantibus, repercutientibus, minus frigori ſeu radiis reſiſtit Lunaribus.

7. Frigus itaque quod terras ſub polis ſitas affligit & inhabitabiles

les reddit, est ignis Lunæ frigidus, qui radiis obtusioribus solaribus non temperatur; quod frigus per ventos Boreales nobiscum etiam æstate communicatur, & tunc dicuntur Etesiæ Ille ignis frigidus verno tempore facultatem habet tenerrima vegetabilium germina & Spiritus comburendi, ejiciendi: hinc ariditas & mors, quæ sæpe vegetabilibus accidit ex Boreali frigore, Germanis ex frigoris ustione evenisse dicitur. Quod autem frigus in Zona frigida, absente Lunâ, præsente Sole continuatur; respondeo, Solem radiis suis obliquis imparem esse discutiendo omnes Spiritus frigidos, ut in Zona temperata, ita etiam in frigida. Ratio autem, cur hyems unius non æque sit frigida, ac alterius anni, eadem est, cur æstas unius anni non æque calida sit ac alterius. Ea in trivio Philosophis cognita sunt. Sufficit mihi, quòd sciam, quòd fons omnis caloris sit ☉ igneus, quo cognito, necesse est fri-

goris etiam dari fontem, quem invenire boni est & sagacis Philosophi.

8. Secundum itaque Hermetem in inferioribus etiam & sublunaribus dantur, sensibusque deprehenduntur ignes frigidi.

9. Et, 1. quidem in Homine. Hominem habere Spiritus frigidos, patet sensu tactus; quando enim calore circa viscera concentrato, corporis humani extrema tangimus, frigida ea deprehendimus, sensibiliter illud activum frigus in febrium horroribus apparet.

10. Cumprimis autem Spiritus esse & dari frigidos etiam in corpore humano, convincimur in moribundis, in Morte, post mortem tacta deprehenditur totius corporis frigiditas seu Spiritus frigidi, qui, prout in moribundis facultatem habuerunt Spiritus vitales è corpore ejiciendi, ita eandem post mortem retinent corporis alterius cujusdam vivi Spiritus calidos fugandi, necandi, malitiam & invidiam extinguendi,

guendi, quemadmodum patet ex nævis maternis, quos tollunt, ut docet de Peste, p. 41. Helmontius. Et omnis necromantia, quæ per mortuorum cadavera exercetur, dependet ex Spiritibus corporum seu cadaverum frigidis. Et exinde inveniri posset Medicina hactenus incognita, pro coërcendis Spiritibus morbosis, enormonticis, copia, caliditate & orgasmo peccantibus. Isti frigidi Spiritus forsan nigri sunt & tenebricosi, cùm facultatem habeant extinguendi corporis nostri Spiritus radiantes. Ipsa Luna, Solari lumine spoliata, umbræ terræ immersa, tenebricosa conspicitur & picea.

11. In mineralibus & metallis sunt ignes frigidi. De igne matallorum frigido ante aliquot secula scripsit Basilius Valentinus Monachus in test am. suo ult. l. 1. c. 48. Uterque ignis frigidus & calidus deprehenditur in metallis, etiam in Mercurio, qui extra tactu frigidissi-

mus eſt, in ſe tamenSpiritus igneus; quo minus itaque urat tangentis manus, modificatur igne frigido, qui Lunæ igni aſſimilatur, eadem ratio eſt in auro, & reliquis metallis, in quibus extra frigiditas tactu deprehenditur, cum tamen in ſe meri ſint ignes, & Spiritus ignei: tale frigus externum percipitur in lapidibus pretioſis, in ſale nitri, in combinatione ✱ cum ⊖ e comuni, &c.

12. Tale frigus eſt in aquis, vino, cerevіſia, quo Spirituum noſtrorum mitigamus fervores: in ipſo etiam mari, quod ſub Lunæ dicitur eſſe imperio, idcirco per orgaſmum ad Lunæ occurſum videtur moveri Oceanus: hinc etiam alia frigida, quæ Lunæ ſubſunt, e.g. cochleæ, oſtreæ, cancri, Luna plena creſcunt, intumeſcunt, ob magnetiſmum, ſimilitudinem, identitatem, ſympatheiſmum, & conſenſum mutuum Lunæ cum Lunaribus.

Tale frigus habent & aquatilia alia, piſces, piſciculus Galere maximè

ximè frigidus, in Antillarum insulis communis; ranæ, anguillæ, torpedo, cujusvis stupefactiva in Spiritibus frigidis consistit, quos emittit, iisdemque extinguere conatur, obfuscare, & fugare radiationem calidorum Spirituum. Agit iste ignis frigidus per rete, per baculum ligneum, non secus ac ignis calidus per baculum ferreum. Sanguis testudinis marinæ multo frigidior est, quam ulla aqua, quæ haberi potest in illis Insulis. Interim tamen pulsum sentiunt cordis tam validum, arteriasq; tam firmas habent, quàm ullum unquam animal.

13. Terrestria frigida sunt; viperæ, serpentes, ranæ, salamandra indicus, qui saliva sua carbones extinguit, duarum horarum spatio & ultra ab ignis violentia se vivum conservat.

Vegetabilia frigida sunt; opium, papaverina, lactuca, lactescentia, cichoracea, intybacea, tragopogon, scorzonera, cicuta, cicutavia,

aliaque frigefacientia. Omnia itaq; ſublunaria ignem in ſe habent non calidum tantùm, verùm etiam frigidum: ita Helmontius ſub tit. formarum ortus. p. 148. §. 89. inquit: *per Alkaheſt ſciri poteſt, quantum Luminaris partem vegetabile (etiam incognitum, contuſum & ſitu obductum) poſſideat.*

CAPUT XI.

Paradoxon undecimum.

Tenebras eſſe ſubſtantiam ſpiritualem.

1. Deus ſeperavit Lucem à tenebris. 2. Tenebræ & lumen opponuntur. 3. Conſpiciuntur. 4. Palpabiles ſunt. 5. Antipathia eſt inter Spiritus & tenebras. 6. Melancholici amant tenebras, & quare? 7. Pueri meticuloſi ſunt in tenebris. 8. Tenebricoſa in ſublunaribus.

INſoliti jam paradoxi inſolentia demonſtranda venit: TENEBRAS eſſe ſubſtantiam ſpiritualem activam. Patet hoc ſtatim.

1. Ex libro creationis, ex quo manifeſtum eſt, Deum ſeparaſſe

lucem

lucem à tenebris, quæ in principio fuerunt super faciem abyssi. Ista autem separatio non fuit accidentium, nedum creatio aut separatio privationis, sed substantiarum: tenebras enim Deus vocavit noctem, cùm nocturno tempore maximè in sensus incurrant, Lucem autem Diem. Deus in Esaia dicit, se creasse lucem & tenebras.

2. Nox & dies, hoc est, tenebræ & lumen sibi opponuntur dictante ipso JEHOVAH, Genes. 8. vers. ult. Si itaque lumen substantia est, prout titulo de igne demonstravimus, utique etiam tenebræ. Lux & tenebræ laudant Deum, testantibus viris sanctis in fornace ignea, ergo sensatæ sint necesse est; omnis Spiritus laudet Deum, inquit Psalmista in epiphonemate suo.

3. Sicut umbra de die, ita tenebræ crassæ noctu conspiciuntur. Substantiæ autem secundum neotericos conspiciuntur, secundum alios substantiæ beneficio, & medianti-

bus accidentibus in ſenſus cadunt. Neceſſariò itaque tenebræ ſub ſe trahebunt ſubſtantiam. Ut umbra, ita tenebræ nigro conſpiciuntur colore, etiam in ipſo meridie ſunt in cœlo, ſupra Lunæ concavum, etiam in aêre; propter eminentiam tamen & abundantiam Luminis Solaris & aſtrorum evaneſcunt: poſt luminis excluſionem iterum apparent, v. g. in camera obſcura. Lux penetrat tenebras, & aërem tenebricoſum, non ſecus ac ignis ferrum candens, lumen ſolis aut ignis aërem.

4. Tenebræ concentratæ ſunt palpabiles, quod patet ex tenebris Ægyptiacis, de quibus Exodi. 10. v. 21. ita enim dixit DOMINUS ad Moſen: Extende manum tuam in cœlum, & ſint tenebræ ſuper terram Ægypti tam denſæ, ut palpari queant. Juxta Sap. c. 17. adeo craſſæ fuerunt, ut nulla ignis vis, nec limpidæ ſiderum flammæ illam noctem horrendam illuminare potuerint. Jam verò palpabilitas affectio eſt

corporis naturalis, tenebræ itaque concentratæ, crassæ utique substantiæ erunt, expansæ verò & extenuatæ Spiritus subtiles. Quicquid longitudinem habet, latitudinem & profunditatem, illud substantia est corporalis: Umbra, v.g. terræ, longitudinem habet, latitudinem & profunditatem. E.

5. Inter lucem & tenebras mutua actio est, & antipathia, vigore primævæ separationis lucis à tenebris: accedente luce evanescunt tenebræ, eodem modo, ut frigiditas penetratur & obducitur calore, ferrum & carbo igne: ita tenebræ obducuntur, penetrantur lumine: excluso lumine, v. g. in camerâ obscura, etiam in ipso meridie præsto sunt tenebræ. Antipathiam esse & actionem inter Spiritus corporis humani lucidos & inter tenebras inde patet, quòd omnis homo sanus naturali instinctu tenebras horreat, aversetur; & propterea tenebræ homini sunt pœna, quando carceri

tenebricoſo includitur. Diem autem & uſuram lucis, tanquam rem amabiliſſimam, jucundiſſimam, cujus beneficio etiam vivit, perditè amet & deſideret. Exhorreſcentia tenebrarum, quæ paſſio eſt, præſupponit ſubſtantiam in Spiritus noſtros agentem, tenebras nimirum.

6. Omnis homo melancholicus ob Spirituum ſuorum tenebricoſitatem tenebras amat, tenebricoſa quærit & ſolitaria, lucos inhabitat, in cryptas & ſepulcra ſe proripit: lucem autem fugit, timet, averſatur. Hæc autem antipathia eſt actio ſubſtantiarum, Spirituum nimirum, lucis & tenebrarum.

7. Omnes homines, cumprimis pueri, propter Spiritus lucidos, tenebras & ſpectra (quæ Spiritus ſunt tenebrarum, tenebricolæ, poſt lapſum ex privatione lucis tenebrefacti) horrent, offenduntur, epileptici fiunt. Cùm itaque inter lucem & tenebras, luminoſa & tene-

bricoſa

bricosa mutua sit & reciproca actio; & quasi pugna, necesse est, sint substantiæ spirituosæ & activæ.

8. Tenebricosa in sublunaribus omnia sunt nigra, spectra, Æthiopes, homines nigri, nigro capillitio, melancholici, qui ut plurimum sanguinem habent & spiritus obscuros, tenebricosos, impuros. Animalia nigris lanis, volucres nigris plumis, noctivagæ, noctuæ, ululæ, bubones, vespertiliones, bufones, pulices.

Herbæ nigris floribus & foliis, quales sunt faba, &c.

Terra tenebricosa est, idcirco de se tenebras, seu Spiritus tenebricosos spargit, corpora terrestria omnia, etiam humana tenebricosa sunt, & idcirco Spiritus nostri & anima nostra in tenebris & obscuro habitant domicilio.

CAPUT

CAPUT XII.

Paradoxon duodecimũ.

Idéas esse Spiritus.

1. Plato docuit Idéas, morbos ideales Helmontius. 2. Sunt producta Spirituum. 3. Spirituum habent actiones. 4. Formant sibi proprium domicilium. 5. Spirituum sunt remedia. 6. Sanitatis sunt & morborum causæ. 7. Facultatem habent sese multiplicandi.

UNum adhuc curiosis proponam paradoxon inauditum hactenus; IDEAS esse Spiritus, seu substantias spirituales.

1. IDEAS olim docuit Plato, num verò discipuli Præceptoris mentem & intentionem assecuti sint, dubito. Nostro seculo Helmontius morbos Medicis primitus monstravit ideales, ex idéis ortas: Idéas Spiritus esse, & substantias spirituales, à facultate creatrice Spirituum formatas, nobis hac vice minus usitato scribendi stylo incumbit probare.

2. Primò

2. Primò enim Spirituum ſunt producta, à Spiritibus fiunt, creantur, generantur, producuntur. Quodcunque itaque à Spiritibus creatur, producitur & generatur, Spiritus erit, ſimile enim producit & generat ſimile, Spiritus producit Spiritus, creat, multiplicat. A ſpiritibus Ideæ producuntur, generantur, E. ſunt Spiritus.

3. Quodcunq; Spirituum actuoſas habet actiones & operationes, illud eſt Spiritus, ideæ, e. g. furoris canini, ſaltatricis taratantulæ, epilepticæ, terroris, metus; &c. Spirituum habent actuoſas operationes. E. ſunt Spiritus.

4. Quæcunque idéa corpus ſibi, & proprium format domicilium, eſt Spiritus; idéa canis rabidi rabioſa, corpuſcula canina ſibi format. E. eſt Spiritus.

5. Quodcunque adæquatum Spirituum eſt remedium, illud ipſum eſt Spiritus. Ideæ adæquata ſunt Spiritum remedia; ideæ enim, e. g.

lætæ

lætæ ex læto nuncio exhilarant, ſerenant præter naturalem Spirituum conſtitutionem. E. illæ ipſæ ſunt Spiritus.

Quodcunque Spiritu eſt ſubtilius, Spiritus eſt, Ideæ longè ſubtiliores ſunt Spiritibus. E. Spiritus ſunt Spiritus conſtant igne & humiditate pingui, idea non.

6. Quodcunque imperium habet in vitam & ſanitatem, ſubſtantia eſt, ideæ tale habent imperium, E. ſubſtantiæ ſunt. Cauſæ enim ſanitatis ſunt & morborum.

Quodcunque naturales habet operationes eſt ſubſtantia naturalis: ideæ naturales habent operationes. E. ſubſtantiæ ſunt naturales. Idea e. g. iraſcibilis, vindicatrix, formidabilis naturalis cauſa eſt apoplexię, epilepſiæ lethalis.

Quæcunque cauſa in corpore humano humores agitat & Spiritus, ſubſtantia eſt. Ideæ humores movent & Spiritus. E. ſubſtantiæ ſunt.

7. Quodcunque facultatem habet

bet ſeſe multiplicandi, ea eſt ſubſtantia ſpirituoſa: ideæ facultatem habent, ſeſe multiplicandi: E. ſunt ſubſtantiæ ſpirituoſæ, v. g. ideæ rabici caninæ, taratantulæ, &c.

CAPUT XIII.

De existentia Spirituum nostrorum.

1. Spiritus eſſe demonſtrant ſenſus. 2. Calor. 3. Motus. 4. Virium jactura. 5. Animi deliquia. 6. paralyſes. 7. Fermentationes. 8. Mors. 9. Medici omnes.

SPiritus eſſe & in corporibus noſtris dari cognoſcimus, 1. Senſu viſus.

1. Illud enim ſubtile, quod ſpumoſum eſt in ſanguine cumprimis arterioſo, docti promiſcuè & indocti vocant Spiritus; illud nimirum tenue, quod poſt extra venationem in auras tandem evaneſcit & exſpirat.

2. Illud ipſum ſubtile, quod motu & pulſu in cordis ventriculis, venis & arteriis ab alimentis ſecernitur, dicitur Spiritus.

3. Spi-

3. Spiritus esse patet ex animalibus brutis, quæ omnes actiones suas naturales, vitales & animales per animam sensitivam materialem, hoc est, per Spiritus perficiunt.

4. Sensu Tactus. Tactu corpora nostra calida esse deprehendimus.

2. Ex calore itaque spiritus esse & dari cognoscimus; subjectum caloris & calidi nativi sunt Spiritus, sunt enim ignes.

5. Ex circulatione & motu: hujus enim subjectum & principium sunt Spiritus. Circulatio Spirituum non est artificialis motus per pondera, ut in automatis & machinis, quæ violentia moventur: sed merè naturalis, à causa interna nativa, mobili, astrali, radiosa, vivida, & luminosa se se ad motū, analogiam & imitationem astrorum movente, utpote quorum spirituales radii principale sunt Spirituum ingrediens.

4. 6. Illud ipsum subtile, quod in morbis

morbis, languoribus, mœroribus, ægritudinibus, laboribus, vigiliis, curis, senectute insensibiliter amittitur, sunt Spiritus.

7. Illæ ipsæ vires, quæ sensibilibus evacuationibus, venæ sectionibus, hæmorrhagiis, purgationibus, sudoribus, immoderata Venere, &c. amittuntur, sunt à Spirituum jactura: Spiritus, vires, vita, pari passu ambulant.

5. 8. Animi deliquia, cùm proveniant à cessatione seu potius intermissione circulationis, motus & radiationis Spirituum, docent esse Spiritus.

6. 9. Paralyses, eum arguant denegationem, influxus Spirituum, vel eorundem narcosin, aut mortificationem idem confirmant.

7. 10. Ex fermentatione animalium, vegetabilium, mineralium cognoscimus Spiritus. Illæ enim bullæ & illud spumosum, quod in fermentatione ebullit, strepit, intumescit, commovetur, exspirat,

sensus

ſenſus ferit, Spiritus eſſe confirmant ſenſus, auditus, viſus, odoratus, guſtus, tactus.

8. 11. Ex ipſa Morte, de qua capite ultimo.

9. 12. Spiritus eſſe, exiſtere & dari, confirmat unanimiter omnis Medicorum chorus, ab Hippocrate uſque ad hæc noſtra ſecula: hos à partibus, in quibus generantur, & actionibus, quarum autores ſunt, vocant naturales, vitales & animales.

CAPUT XIV.

Diſcrimen animæ & Spirituum oſtendit.

1. Anima propriè eſt Spiritus. 2. Divinæ particula auræ. 3. Immortalis. 4. Non elementata. 5. Ab elementis non afficitur. 6. Influentiis non obnoxia. 7. Quieſcit. 8. Non ſentit externas injurias. 9. Non ægrotat. 10. Non enormontica eſt. 11. Non eſt ſubjectum medicinæ. 12. Eſt indiviſibilis. 13. Non immediatè conjungitur corpori. 14. Eâ carent bruta. 15. Sola, corpus redderet immortale.

Anima

ANima à Spiritibus distingui patet, quia

1. Anima est propriè Spiritus, materiæ expers: Spiritus autem sunt corpora subtilissima.

2. Anima est divinæ particula auræ: Spiritus est corpus subtilissimum, proximum divinæ auræ habitaculum, vehiculum.

3. Anima est Spiritus immortalis: Spiritus autem sunt mortales, attenuantur, imminuuntur, evanescunt in auras, sub concavum Lunæ cum animabus brutorum juxta Platonem, vel potius aliis cum ignibus per magnetismum ignium fontes repetunt.

4. Anima non agnoscit, nec admittit qualitates manifestas: Spiritus autem sunt calidi, humidi magis & minus.

5. Anima injurias non sentit elementares: Spiritus autem obnoxii sunt & afficiuntur qualitatibus elementorum excessivis. e.g. frigiditate, caliditate, humiditate.

6. Anima

6. Anima astrorum influentiis obnoxia non est, utpote merus & Spiritus absolutè divinus; Spiritus contra τῷ τῶν ἄστρων στοιχοίῳ ἀνάλογοι, vel astrorum potius filii sunt, idcircò ob analogiam & identitatem ab iis afficibiles.

7. Spiritus moventur & circulantur ad imitationem astrorum, ex quibus generantur: Anima tali motu non movetur, diviniorem enim habet originem.

8. Anima, ceu propriè Spiritus, non potest tangi, nec tactu aut punctura lædi. Spiritus dolent, sentiunt gratum & molestum, quod patet in paralysi, ubi membrum resolutum, præsente anima Spiritibus orbatum non sentit, interdum non movetur.

9. Deliriorum subjectum seu causa Spiritus sunt; anima non delirat, nec ægrotat, cùm sit immaterialis: Ergo Spiritus in corpore materiales, vicissitudinibus obnoxii sunt.

10. Illud

10. Illud ipſum enormanticum ſeu impetum faciens in febribus, catarrhis, aliiſque morbis & ſymptomatibus, v. g. convulſivis motibus, anima non eſt, ſed Spiritus: ita animi thymoſes ſeu excandeſcentiæ, e. g. iracundia, non ab anima immediate, ſed à Spirituum effervescentia, ebullitione, quod apparet ex faciei efflorеſcentia & rubore: patet & inde, quod ad iram magis proclives ſint & commoveantur juvenes & vivi, quàm ſenes, non ratione animæ, ſed culpa Spirituum igneorum.

11. Ex quotidiana Medicorum praxi, qui medicamenta non animæ, ſed Spiritibus applicant, talia ſunt, e. g. præternaturalem Spirituum conſtitutionem corrigentia, Archeum ſapientia, narcotica, opiata, ſomnifera, papaverata, etiam in morbis animi, qui morbi ſunt Spirituum.

12. Anima eſt indiviſibilis: Spiritus autem ſunt diviſibiles, diſſipabiles, reſolubiles.

13. Anima, tanquam Spiritus subtilissimus, divinus, immortalis, post lapsum obscuratus, corpus humanum, crassum, terrestre, opacum, grave; hebes, immediatè gubernare non potest, & illuminare, sine intermediis Spiritibus, corporibus igneis, semper activis, mobilibus, maximè sentientibus, quibus tanquam instrumentis proximis utitur pro gubernando & vivificando corpore; patet hoc ex paralysi, animi deliquiis, in quibus non deficit anima, sed Spiritus, & eorum radiatio. Spiritus itaque sunt medium & quasi vinculum inter duo illa extrema, animam & corpus, multis parasangis, insigni & maxima latitudine inter se distantia. Spiritus, ceu docent Pneumatici, Dœmon, Genius molem de loco tollere non valet, sine intermedio, tanquam instrumento, e.g. aëre, corpore itidem spirituoso & Dœmoni magis analogo: ita anima tanquam Spiritus immaterialis, exigua flam-

flammula corpus movere non potest sine intermediis Spiritibus; & ut Spiritus, Dœmon corpus aut cadaver, quod intrat, naturaliter non movet; ita nec anima, nisi mediantibus Spiritibus.

14. Spiritus in brutis corpus sine anima possunt gubernare; sed anima, Spiritus subtilissimus, immortalis, qualitatibus manifestis expers, sola corpus humanum non sine Spiritibus, corporibus radiantibus, mobilibus.

15. Animam à Spiritibus distingui patet ex morte: anima non moritur, cum sit immortalis, nec corpus, illud enim non potest dici mori, cùm sine anima & Spirituùm commercio sit merum cadaver & terra; necesse itaque est, vinculum illud & intermedium animæ & corporis, Spiritus nimirum mori; quibus ablatis, dissipatis, suffocatis, extinctis, non circulatis, nec radiantibus, necessariò sequitur Mors, rupto nimirum vinculo utriusque,

Hinc, salvo rectiori ita possemus colligere:

15. Si anima immortalis, sufficienter radians sola corpori præesset immediatè; homo nunquam moreretur, sed à morte præservaretur beneficio animæ. Coactè enim & violenter animula, exigua post lapsum flammula, suum deserit domicilium, sicut Spiritus Mercurialis, purus in auro metallicus, aurum præservat à rubigine, morte, interitu; ita etiam anima corpus.

CAPUT XV.

Nonnullas differentias spirituum accidentales recenset.

1. Differunt ratione qualitatum primarum. 2. Secundarum. 3. Constitutionis. 4. Motus. 5. Partium. 6. Indolis. 7 Idearum. Differunt & ipsi inter se Spiritus multis modis.

1. A Qualitatibus manifestis; alii dicuntur calidi, ratione ignis: alii frigidi, quales in moribundis & cadaveribus tachi depre-

prehenduntur ; alii humidi ; alii ſicci.

2. Ratione qualitatum ſecundarum : alii dicuntur obſcuri , tenebricoſi , craſſi , alii ſereni , radiantes , pellucidi , perſpicui , expanſi , ſubtiles ; alii dulces ; alii ſalſi , alii acidi , alii alkaliſati , &c.

3. Ratione conſtitutionis ; alii ſani ſunt ; alii ægri ; alii puri , alii impuri.

4. Ratione motus : alii mobiles ; alii minus mobiles ; alii ſedati ; alii inquieti,enormantici,trepidantes.

5. Ratione partium , in quibus generantur ; qui in hepate , naturales ; in corde , vitales ; in cerebro, animales ; in partibus generationis, geniales dicuntur.

6. Ratione indolis ; alii ſunt & dicuntur generoſi , ſerviles , laborioſi , ſegnes.

7. Ratione idearum iis impreſſarum ; alii ſunt triſtes,melancholici , meticuloſi , timoroſi,ſaltantes , furioſi , &c.

Hæ & aliæ accidentales ejusmodi differentiæ in Medicina nostra sæpius occurrunt.

CAPUT XVI.

Spirituum nostrorum enucleat definitionem.

1. Spiritus sunt corpora. 2. Rotunda. 3. Viva. 4. Subtilissima. 5. Calida. 6. Ignes sunt. 7. Homo igne nutritur. 8. Luces sunt & lumina. 9. Differentia inter ignem, calorem & radium. 10. Muscæ lucentes. 11. Vegetabilia & aquatilia habent Spiritus. 12. Spiritus etiam humidi sunt. 13. Humiditas illa oleosa est. 14. Mobilia sunt, astrorum more. 15. Harmonia superiorum & inferiorum est illa catena aurea. 16. Motus est quasi ipsa vita. 17. Motus & circulationis utilitas. 18. Unde generentur Spiritus ♂. 19. Ex Spiritibus alimentorum. 20. Ex aëre, radiis, & Spiritibus astralibus, imprægnato. 21. Isti radii sunt astrorum influentiæ. 22. Finis Spirituum. 23. An unus an plures. 24. Unum esse monstratur, & per exempla illustratur.

DEfinitionem Spirituum mutuabimus à Sennerto, Præceptore

ptore nostro, qui sequentem nobis suppeditat.

Spiritus est corpus vivum, subtilissimum, tenuissimum, calidum & mobile, à subtilissima & maximè sincera sanguinis parte genitum.

Spiritus itaque, de quibus in præsentiarum agimus, & quarum gratia scriptio hæc & tractatio instituta est, sunt

1. CORPORA) quia habent longitudinem, latitudinem & profunditatem; quia, 1. dividuntur, quia extenduntur, quia extenuantur, quia imminuuntur. 2. quia calidi non tantùm sunt, sed etiam humidi. 3. quia in vasorum obstructionibus iisdem denegatur transitus & influxus. 4. quia aliis multis obnoxii sunt vicissitudinibus.

Curiosi hoc loco possent inquirere, quâ figura prædita essent.

2. Spirituum corpora? quibus responderem, forma rotunda; quia ea, 1. est perfectissima, ad motum, fluxibilitatem & circulationem

aptissima. 2. Cum Spiritus, cœlestis sint originis, necesse est, ut parentum Solis & astrorum, ignis, nec non aëris & cœli agnoscant figuram rotundam; simile producit simile; sunt, secundum Philosophum, analogi elemento astrorum. Spiritus peregrini, e. g. minerales, salini, rotundi quidem sunt, in superfice tamen, ut terra, cujus filii sunt, & à cujus phantasia generantur, hirsuti sunt, hispidosi, senticosi, aculeati, quia à terra, quæ suos etiam habet montes, cautes, rupes, scopulos acuminatos & prominentias, tanquam matre generati, quemadmodum secundum astrologorum observationes Saturnini ad ♄ faciem falcatam, faciem habent oblongam, macilentem: ♃les, ob ♃is astri splendorem, faciem cum gravitate pulcram: Solares, rotundam, regiam: ♂tiales, maculis obductam, cum capillis rubicundis. ♀rei, ob lucis pulcritudinem, cum amœnitate pulcram; ☽nares, ob luminis

luminis pallorem, pallidam: ☿les, pro ratione configurationis, variam. Spiritus enim astrales, astrorum & planetarum retinent naturam & figuram, eandemque, in nativitate fortes, corporibus imprimunt.

3. VIVA) vivunt verbo & voluntate gloriosissimi Creatoris. Is, qui totus vita est, res omnes creat vivas, nullamque à manu sua mortuam expectandum promisit. Vivunt Spiritus, quod enim vitam corpori tribuere debet, utique vivum sit necesse est. Spiritus autem vivere, patet ex sensibus, qui beneficio Spirituum perficiuntur. Sentiunt Spiritus gratum & molestum, salutare & noxium: percipiunt odores suaves, iisdem delectantur, lætantur; graves, quibus afficiuntur, offenduntur, læduntur. Irritati autem tumultuantur, enormantici fiunt & impetum faciunt, iterumque demulcentur. Quod vivant & vitæ causa sint, patet ex sensu

motus. Spirituum beneficio corpus & singula membra moventur. Motus naturalis præsupponit vitam seu principium vivens; motus autem beneficio Spirituum perficitur; positis Spiritibus, ponitur motus, denegatis, denegatur motus. In suffocatis ex utero, ab apoplexia & aquis; Spiritus quidem moventur, nobis tamen insensibiliter, radiant etiam, sed debiliter, non secus ac ignis in pruna candente movetur, insensibiliter tamen, radiat etiam, sed debiliter. Talem vitam vivunt hyeme, ranæ, ursæ, mures alpini, &c. Extravasatos Spiritus sentire, & mutuum consensum habere cum iis, qui insunt corpori, demonstrant curationes magneticæ. In cadaveribus supersunt Spiritus, pauci tamen, maximam partem extincti & obscuri, quibus superest vegetatio, hinc cadaveribus crescunt capilli, ungues.

Formaliter autem consistit in lumine & radiatione ignis Spirituum;

posito

posito sufficienti lumine, ponitur vita, extincto, in propinquo mors est. Quæ extinctio in moribundis in oculorum vitrificatione apparet. Bartholinus de luce. *Lucis subjectum quod Spiritus sunt, quos comitantia lumina vitam ponere & auferre ex parte dici possunt.* Ut autem radient, luceant, flagrent, illuminent, requiritur motus. Motus autem Spiritibus communis est cum astris, qui meri sunt ignes & Spiritus, quorum vita & radiatio motu conservatur, omnibusque rebus naturalibus & creaturis à primo motore & Patre luminum, lumen, radiatio, & cum lumine motus est inspiratus & vita. De vita vide peculiare caput seq. 17.

4. SUBTILISSIMA, TENUISSIMA) ratione subtilitatis obtinuerunt nomen, dignitatem & privilegia Spirituum; ratione subtilitatis & tenuitatis suam habent penetrabilitatem, pernicitatem, activitatem; ratione subtilitatis & te-

nuitatis viſum effugiunt, qua ratione & omnes Spiritus, anima, cœlum, aër, ignis extenſus inviſibiles ſunt à corporeis oculis & creaturis: ratione ſubtilitatis & teneritudinis facilè etiam per poros exſpirant, diſſipantur, conſumuntur, ſuffocantur, extinguuntur. Debent autem eſſe corpora ſubtiliſſima, quia anima, tanquam Spiritus incorporeus, pro regendo corpore opus habet Spiritibus, tanquam inſtrumentis ſubtiliſſimis. Spiritus ſunt intermedium & quaſi vinculum animæ & corporis. Non tamen adeo ſubtiles ſunt & ſimplices, ut eorum humidum, impurum non admittat aut heterogeneum, quod docent fermentationes eorum, quarum beneficio à ſe & toto corpore equeſtrant, quod alienum eſt, peregrinum & impurum.

5. CALIDA) ſunt ratione ignis: ignea, calida ſunt, & calida ignea. Corporis noſtri Spiritus ignes eſſe patet, 1. ex Hippocrate, qui Spiritus

ritus vocat ἔμφυτον πῦρ, connatum ignem. 2. patet, quod ex Spiritibus igneis vegetabilium & animalium, si concentrantur inflammabilibus, combustibilibus generentur. 3. generantur & ex Spiritibus ☉is & astrorum, quorum radii concentrati meri sunt ignes. 4. Quia ex medicamentis itidem spirituosis igneis, inflammabilibus, restituuntur, refocillantur. 5. Calidos esse & igneos patet sensu tactus, corpus nostrum calet magis & minus Spirituum beneficio. 6. Calidi sunt Spiritus, quia calidis pariter & frigidis afficiuntur, excessivè frigidis & calidis offenduntur, moderatè calidis & frigidis reficiuntur. 7. Calidos esse, patet ex coctionibus. Spiritus calore coquunt, digerunt, in singulis coctionibus, ceu culinis alimenta, hinc Spiritus, Naturæ dicitur coquus. 8. Spiritus calidos patet ex intemperiebus, cumprimis autem ex febribus calidissimis; Febris nihil aliud est, nisi Spirituum ignitio, mul-

tiplicatio, incendium, quo nomine etiam à Medicis per πῦρ, id eſt, ignem deſcribitur. Ignis enim febrilis eſt ignis noſter naturalis, per pulſum auctus, nimium multiplicatus, ſemetipſum & humidum ſuum extenuans, ſuaque diſproportione conſumens. 9. Ut ignis ſtipulas, ita Spiritus fuligines, ſuperfluas humiditates, morborum cauſas & eorum producta, imò vel ſemetipſos conficiunt. 10. Ut ignis tandem, denegato & detracto humido & pingui combuſtibili ſucceſſivè conſumitur, extinguitur, in auras exſpirat; ita & corporum Spiritus, per morbos, ægritudines, labores: & hæc ipſa ſenectutis & ipſius denique mortis genuina ratio eſt. Hic curioſi quærere poſſent, num homo igne etiam nutriatur?

7. Reſponderem, quod ſic: Spiritus ſunt ignes extenuati, extenſi, ſubtiles, incarcerati, multiplicati autem concentrati & liberiores redditi meri ſunt ignes urentes. Hinc

eſt,

est, quod Luces dicantur, & Lumina hinc inde ab autoribus.

8. Bartholinus eo nomine doctissimum de Luce animalium literato orbi scripsit tractatum; p. 266. ita loquitur. *Ratum ergo sit animantium lucem inter qualitates obtinere locum, à quibus subjecta talia dicuntur, augereque primarum qualitatum numerum, ut quinta sit sui ordinis & conditionis, nec enim calor est, nec frigus, nec ullius humidatis siccitatisq; per se efficiens, sed peculiari essentiæ ratione à reliquorum conditione separata.* Helmontius de aura vitali, p. 728. *Luces*, inquit. *sunt ipsæmet vitæ ac formæ vitalium.* Hoffmannus Spiritum appositè vocat Flammam vitalem.

9. Lux, lumen, radius, calor ab igne non differunt nisi tenuitate, subtilitate, extensione, expansione, radiatione: Lux, Lumen, radius, calor, 1. sunt effluvia ignea, ignes emanantes, emissitii, radiantes ex Sole; aliisque concentratis, compactis,

pactis, solidioribusque ignibus. Prout itaque ignes, lux, lumina radiant: ita etiam Spiritus corpora irradiant; illuminant, caloremque de se spargunt, vel mitem & naturalem, qui sensu deprehenditur, vel auctum & præternaturalem, in febribus, qui ad tactum acris est & pungens quasi. 2. Spiritus effluvia de se spargunt, ignis & astrorum instar: ejusmodi radiatio deprehenditur in medicamentorum activitatibus; medicamenta enim non agunt tantùm figura sua externa, pleraque internâ potius forma activa radiante, non secus ac quando medicamentum spirituosum fracto vase effunditur, exspirat per radiationem, nostrosque Spiritus mirè afficit. Radiatio illa manifesta est in magnete, sympathiis & antipathiis, e. g. hominis & felis, in quibus necesse est, ut vibratio fiat, contactus & collisio quædam, quæ radiatio est, & radiorum similium mutuus amplexus, dissimilium mutua fuga.

3. Spi-

3. Spirituum ignes radiare, patet in perpetua corporum exſpiratione & tranſpiratione, quæ radiatio eſt, & Spirituum activitate perficitur. 4. In morbis contagioſis, in quibus Spiritus peregrinus è corpore morboſo egreditur & exhalat, inque aliud corpus ſeſe inſinuat, cujus Spiritus ſanos facultate ſua multiplicativa contaminat, accendit, ſibique aſſimilat. 5. Spiritus perhibentur radiare extra corpus abſque definita activitatis ſphæra, ut in ſympathetica vulnerum curatione patet; & quidem per corpora etiam opaca, minuſque poroſa, ut in radiatione magnetis, item in radiatione gemmarum.

Spiritus autem lumina eſſe, pellucida, diaphana patet, 1. quod ignium more illuminent, irradient, translucida, diaphana reddant corpora: digiti candelæ admoti tranſparentes conſpiciuntur; animalcula per microſcopia pellucida apparent: manifeſtè lucidæ ſunt cicindelæ,

delæ, aliaque, de quibus Bartholinus de luce animalium.

10. In Insulis Antillis muscæ lucentes reperiuntur, quibus pro candelis utuntur incolæ. Lumen ipsarũ debile redditur, cùm morbo afficiuntur, extinguitur verò omnino, si moriuntur. 2. patet ex sensu visus, qui & radiorum emissione, & specierum visibilium receptione perficitur, ut autem utrumque fiat, purum requiritur lumen. 3. ex oculis animalium nonnullorum, in quibus manifestè lumen quoddam radians conspicitur; & hominum exscintillatione, quando comprimuntur. Apparet, 4. ex somniis, in quibus animal in Spirituum lumine videt innumeras rerum ideas, sibi olim impressas. 5. Spiritus radiare deprehendimus ex mutuo viscerum consensu, qui fit per radiationem & illuminationem mutuam. Quando enim ventriculus medicamentum accipit generosum, post suscitatam illuminationem ex grato & spirituoso me-

ſo medicamento, in inſtanti radiat & illuminat cor, caput, uterum, renes, eorundemque Spiritus. In ipſa enim ſumtione antequam actuoſa illa medicamenta corpore ad remota deferantur viſcera, cor, caput, uterus, renes, ſubſidium percipiunt ex Spirituum ventriculi illuminatione & radiorũ vibratione in eminus collocata viſcera. Quòd verò illa Spirituum radiatio non ſemper ſit viſibilis, fit, ut norunt Naturæ-Conſulti, ob ſummam Spirituum ſpirituoſitatem, ignis & luminis eorum tenuitatem, raritatem, ſubtilitatem, extenſionem, expanſionem. Sic propter ſummam eſſentiæ ſimplicitatem à corporeis noſtris oculis non conſpiciuntur nec Genii, nec anima, nec aër, licet illuminetur, nec ignis expanſus in aëre, nec radians per fornacem in hypocauſtum. Propter eandem cauſam Spirituum nimirum tenuitatem, raritatem & extenſionem in piſcibus, in vegetabilibus ſenſibilis non deprehenditur calor. Piſ-

11. Pisces tamen, qui Lunæ subsunt, & vegetabilia præter frigidos, Spiritus in se habere etiam calidos, inde apparet, quòd, 1. in fermentatione incalescant motu. 2. Spiritus ex vegetabilibus destillatione eliciantur calidi. 3. vegetabilia ratione Spirituum ♀reorum combustibilia sint. 4. vegetabilia quando putrescunt, incalescunt & accenduntur, id quod fit in fœni putrefactione. Pisces licet frigidi sint, Spiritus tamen etiam habent intus calidos, non secus ac ☿us & mineralia sensu deprehenduntur extra frigida, cùm tamen Spiritus eorum interni sint ignes.

12. Spiritus autem nostri non calidi tantùm sunt, verum etiam humidi: calidi tantùm & sicci ignes esse non possunt, utpote, qui nimium simplices sunt, subtiles, tenues; ita enim justo citius essent conflagrabiles, dissipabiles, consumtibiles, evaporabiles, evanescentes. Idcirco flammula illa vitalis meritò debuit

buit esse humido contemperatâ, quo, tanquam in appropriato habitaculo & convenienti vehiculo delitesceret, contineretur, conservaretur.

13. Illud ipsum autem humidum, frigidum non est, nec aquosum, sed pingue, oleosum, 🜍eum, (merus enim ignis est conflagrabilis) quod cum Spirituum calido exactissimè contemperatum est, & hinc in calido & humido vita nostra consistere verè dicitur, consensu Medicorum & Philosophorum, & ab eis communiter calidum innatum & humidum radicale, calidum & humidum influens dicitur, à nonnullis primigenium.

14. MOBILIA) moventur, & moveri debent ad imitationem astrorum, quia ex iis generantur. Moventur non tantùm motu influentiarum, Spirituum astralium more, seu per motum influxus, in viscera & habitum corporis, sed etiam circulationis. Sicut Cometæ, filii

☉is & planetarum, parentum suorum observant & antecessorum motum & gressum: eodem modo & Spiritus humani ex astrorum Spiritibus generati astrorum motu moventur circulari.

15. Admirabilis Harmonia est in tota rerum Natura, & inter creaturas, quam ingeniosè Hermes in tab. sua Smaragdina exprimit seq. modo: *Superius est sicut inferius, & inferius sicut superius*: vel, ut Krigsmannus Phœnicum contextus proprietatem servans latinè vertit, hoc modo: *Verè non fictè, certò verissimeq; ajo. Inferiora hæc cum superioribus illis, istasque cum iis vicissim vires sociant*: Lumine itaque Hermeticæ Philosophiæ, omnia naturalia superiora cognoscuntur per inferiora, & vice versa, inferiora per superiora. Hæc harmonia est illa catena aurea, quâ inferiora superioribus alligantur, gubernantur & mutuo attrahuntur. Cùm enim astra moveantur, & corpora nostra moveri necesse

cesse est, quippe cùm Spiritus habeant ex astris haustos astrales, qui, cùm communes sint nobis cum astris, inter eos communis consensus est, & mutuus magnetismus, sympatheismus & obedientia. Spiritus autem mobiles alios Spiritus non ita mobiles posse ad eorum imitationem reddere itidem mobiles, patet in sublunaribus, e. g. Spiritus mobilis & saltans animalculi saltantis taratantulæ communicatus cum homine, omnes Spiritus hominis saltantis facit & mobiles; non secus ac Spiritus canis rabidi aquã fugientis, Spiritus hominis rabiosos efficit, hydrophobos, aquas aversantes: talis Spirituum communicatio, assimilatio, imitatio apparet in morbis contagiosis, in quibus Spiritus v. g. pestilentialis, scorbuticus, in aliud sanum corpus translatus, assimilat sibi, suæque dispositioni & alios sanos Spiritus. Ita circumgyratio, navigatio, vectio, corporis nostri Spiritus reddit verti-

tiginoſos. Spiritus itaque & radii aſtrales attracti, noſtriſque ſociati, pro naturâ ſua noſtros etiam diſponunt Spiritus.

16. Motus autem naturalis eſt proxima vitæ & radiationis cauſa, ejuſdemque indubitatum indicium in aſtris, in homine, in animalibus, quamdiu movebuntur aſtra, homines, animalia, vivunt, (cùm vita conſiſtat in radiatione Spirituum, motus autem radiationem eorum conſervet) quamprimum ceſſabit motus, ceſſabit radiatio, ceſſabit vita. Ariſtoteles inquit: *Omnibus rebus naturalibus ipſe motus eſt vita quædam.* Vita enim cum motu inſpirata eſt creaturis in prima creatione, à primo motore, glorioſiſſimo Creatore. Motus autem, radiatio & vita inſpirata Spiritibus pari paſſu ambulant, poſito motu, ponitur radiatio, quæ ipſa viventium eſt vita. Spirituum beneficio circulatur & influit ſanguis, corpus de loco in locum movetur. Motus

itaque,

itaque, ut jam aliquoties dictum, conservat radiationem Spirituum, quamdiu radiatio Spirituum durat, durat vita, vita enim est Spirituum radiatio, quamprimum cessat & deficit motus, deficit radiatio, quæ ipsa est vita.

17. Motus ille naturalis & circulatio multas insuper præstat nobis utilitates: separat ab alimentis Spiritus vegetabiles & brutales, ulterius elaborat eosdem, & specificis viscerum fermentis specificati, Spirituum conservat lumen in naturali suâ serenitate, diaphaneitate, tenuitate, radiatione: corrigit impuritatem, densitatem, obscuritatem: sequestrat omne quod peregrinum est in corpore & alienum in Spiritibus, restituit omne quod amissum est & deficit.

Motus hic seu circulatio assimilatur Chymicorum cohobationi artificiali, quâ sæpius repetitâ rectificantur, puriores redduntur, defecatiores, subtiliores & simpliciores

animalium, vegetabilium & mineralium liquores. Jussu itaque & imperio superiorum, Spiritus nec possunt, nec debent esse quieti, cùm enim singulis momentis amittantur, singulis momentis motu & circulatione restituuntur. Ipsi Spiritus naturâ mobiles gaudent invitari ad motum: animalia cursu, volatilia volatu, homines labore, infantes fletu suo ceu sermone nativo supplicant, & desiderant moveri.

Motus itaque Spirituum est sine intermissione continuus. 1. ut continuò generentur, aut ab alimentis separentur. 2. ut continuetur lumen, radiatio & vita sine intermissione. 3. ut continuò ventilentur, & in serenitate conserventur. 4. ut ob continuum effluxum & jacturam continuus conservetur influxus. Motus itaque Spiritibus competit, quatenus sufficientes sunt in corpore animalis vivente; in cadavere motum illum non amplius exercent, nec observant siderum, licet superſint

ſuperſint aliqui Spiritus pauci; obfuſcati tamen, extincti & quieti, non enim amplius inſpirantur, attrahuntur, foventur, fomentantur, reſtituuntur, conſervantur ab aſtralibus, ſemper mobilibus, idcirco nec amplius ad ſiderum imitationem moventur, circulantur, nedum radiant.

18. Generantur autem Spiritus ſecundum Sennertum, alioſq; Medicos ex ſubtiliſſima ſanguinis parte. Per ſubtiliſſimam ſanguinis partem intelligunt procul dubio ſubtiliſſimam alimentorum partem, quæ nihil aliud eſt, quàm alimentorum Spiritus.

19. Spirituum generatio, eſt tantummodo Spirituum ab alimentis ſeparatio, & aſſimulatio. Spiritus non una vice, nec uno in loco aut viſcere in momento generantur & perficiuntur, ſed per gradus. Natura enim agit per gradus, non per ſaltus. In coctionibus generantur, hoc eſt, ſeparantur, & ſucceſſivè

concoquuntur, perficiuntur, assimilantur. In prima coctione & chylosi prima fit Spirituum, & rudis separatio, quæ ex ructibus nidorosis deprehenditur, secunda & ulterior separatio fit in primis viis & venis lacteis, tertia in corde: quarta in arteriis; venis & nervis, ubi specificantur, fiuntque ex vegetabilium Spiritibus, Humani. Generantur etiam in pulmonibus, ut in curioso suo tractatu de Pulmonibus docet, de re medica longè emeritus Bartholinus. Ex assumptorum itaque Spiritibus humani fiunt Spiritus. Nihil potest suppeditare & generare Spiritus, nisi illud ipsum, quod Spiritus habeat & spirituosum sit, quod enim quis non habet, cum altero communicare non potest: sic vegetabilia & animalia Spiritus non possunt suppeditare, nisi materialiter in se habeant, ut infra tit. de Nutritione fusius declarabimus.

20. Non tantùm autem ex Spiritibus alimentorum, sed etiam ex aëre

aëre generantur Spiritus, ſecundum unanimem Medicorum & Philoſophorum ſententiam, idem docebo l. 2. c. 4. §. 3. & 4. AER eſt præcipuum pro generandis Spiritibus Ingrediens: ſine aëre enim vivere non poteſt animal, ut mechanicè hodie demonſtrant curioſi rerum naturalium indagatores, experientiæ nos convincunt & ſenſus. Guarinus Guarini, Helmontius, aliiq; monſtrant, aërem cum reſpiratur, in pectoris non ſolum capacitatem univerſam, ſed infimum etiam intrare ventrem. Varro credidit animam eſſe aërem inſpiratum ore, calefactum in corde, ſparſum per viſcera. Nec tantùm ex ſimplici aëre vivimus & Spiritus generantur, ſed eſt in aëre inſuper ſiderum occultus vitæ cibus, ut loquitur Coſmopolita; ille autem occultus vitæ cibus ſatis manifeſtus eſt iis, qui vident radios ☉lares aliorumque ſiderum calidos & frigidos penetrare, calefacere, imprægnare, tempe-

 rare

rere aërem hunc, quem haurimus nostrum, & quo vivimus. Illi enim radii vivi sunt, & ignis ex sole & astris vivificus, omnia vivificans: radios ☉is ignem esse ☉larem omnes norunt Physicorum & Opticorum tyrones. Illa vis radiorum vivifica est, quod manifestè apparet in vere & æstate, in vere redeunte ad nos ☉le; quando ad radiorum reciprocationem ignis vivificus multiplicatur, cum omnibus creaturis communicatur, & cum igne vegetatio, palingenesia, & nova vita. Cum itaque universus aër plenus sit & impraegnatus igne ☉lari & siderum radiis, patet, assumi, inspirari una cum aëre illum ipsum ignem vivificum. Quam copiosus autem ille sit ignis ☉laris in aëre, patet ex speculis caustoriis concavis, quæ radiorum ☉larium exigua parte concentrata, ignem concentrant realem, & producunt comburentem, metalla liquefacientem, lapides vitrificantem: vide Ephem. eruditorum an. 1666. p. 111.

21. Hinc quilibet, etiam stupidus ingenio, sensibus convincitur externis, manifestas astrorum influentias fieri in aërem, homines, animalia omnesque creaturas, quas partim per sensibilem, partim insensibilem inspirationem attrahunt unà cum aëre, radios nimirum seu ignem & effluvia astralia, quæ secundum naturam astrorum corpora nostra disponunt. Sicut Spiritus qualescunque tandem sint, medicinales, suaveolentes, graveolentes, contagiosi in aëre oberrantes, cum communi aëre hauriuntur, nostrisque sociantur: eodem planè modo ex Spiritu, igne Solari & astrali vivifico cum aëre per inspirationem sensibilem & insensibilem constituitur, generatur & disponitur vitalis & animalis Spiritus.

Et hæc est illa ipsa superiorum & inferiorum harmonia, catena, consensus, sympathia, magnetismus, appetitus, raptus; obedientia ex similitudine, identitate Spirituum

humanorum & astralium: similium enim eadem est actio, harmonia, consensus, sympathia, amor, appetitus, raptus, motus.

Generantur itaque, restituuntur, conservantur, disponuntur Spiritus nostri non ex Spiritibus alimentorum tantum, sed etiam ex aëre, radiis, igne seu Spiritibus astrorum impraegnato.

22. Finis Spirituum, ut ex antecedentibus patuit, est, ut corpora creaturarum beneficio eorum irradiati vivant, sentiant, moveantur, sui simile generent; habent & alios fines, qui sub jam dictis comprehenduntur, v.g. ut conservent corpora in debito statu & naturali constitutione seu sanitate, ut sanguificent, motu suo sanguinem à coagulatione & grumescentia praeservent & aciditate, ut discutiant heterogenea, ejiciant impuritates & fuligines, ut vulnera consolident, & quicquid amissum est per sensibilem & insensibilem evacuationem, per

ulcera, restituant; ut paucis multa complectar, Spirituum finis est, ut per eos corpus sanam vivat & longam vitam; hi enim soli sunt vitæ autores, conservatores, morborumque medicatores: ita nobiscum sentit ingeniosissimus & laboriosissimus Kircherus in arte magnet. l. 3. parte 7. p. 729. *Spiritus*, inquit, *omnium animæ functionum organum necessarium sunt. Horum enim vi admirabili totum corpus vivit, sentit, se movet, nutritur, augetur: hi concoquunt, digerunt, egerunt, attrahunt, omnesque vitales actiones perficiunt: his languentibus omnia languent: hi omnes rerum species accipiunt, deferunt, & ad phantasiæ motum volutantur in corpore, non secus ac lapide in aquam tranquillam conjecto, circuli causantur, se diffundentes totumque corpus alterant: Unde non immeritò ab Hipp.* τὰ σώματα ἐνορμῶντα *dicuntur.*

23. Hoc loco probè notandum, nos loqui solitos in præsenti Spirituum medicina, interdum de Spiri-

tibus ceu pluribus, interdum de Spiritu tanquam uno.

De Spiritibus ceu pluribus loquimur, tanquam de corporibus subtilissimis, quæ in diversis organis ab alimentis separantur, perficiuntur, distribuuntur. Spiritum naturalem vocitamus eum, qui ruditer in prima & secunda coctione ab alimentis separatur; crudus adhuc ille est, merè vegetabilis, herbalis, aut brutalis, nondum elaboratus satis, nedum Spiritu aëris & astrorum sufficienter impraegnatus & corpori hominis specificatus. Vitalem salutamus eum, qui aëris occulto cibo & igne astrali perfusus, impraegnatus, vivificatus, in corde & arteriis, ulterius ventilatur, elaboratur & perficitur. Animalis est ille, qui ex Spiritu vitali in cerebro & nervis adhuc magis magisque sublimatus, extenuatus, exaltatus, rectificatus. Genialis, qui in vasis spermaticis pro generatione & multiplicatione præsto est.

24. Ex.

24. Ex horum autem omnium combinatione, confluxu unum exoritur Spirituum complexum, unus Spiritus. Non secus ac multi rivuli unum constituunt lacum seu stagnum; omnes fluvii in unum sese exonerant mare, unumque constituunt Oecanum: ita omnes Spiritus in habitum corporis confluentes, unum constituunt Spiritum, qui Spiritus dicitur hominis vel animalis, communiter anima sensitiva.

Sicut astrorum Spiritus, radii & influentiæ inter se commiscentur, confluunt, & unum constituunt Spiritum, qui dicitur Mundi & Universi; ita in microcosmo Spiritus naturales, vitales & animales in habitu corporum animalium unum constituunt Spiritum.

Sicut ex radiis ☉is, tanquam infinitis ignis particulis, concentratis, unus coalescit ignis ardens: ita ex infinitis Spiritibus, corporibus subtilissimis unus demum Spiritus. Sicut ex mille subtilissimis effluviis

aqueis, aut infinitis aquæ & pluviarum guttulis una confluit aqua; ita ex diversis ita communiter dictis Spiritibus naturalibus, vitalibus, animalibus unus demum emergit universi corporis Spiritus. Sicut ex mille ☿ii granulis unum colligitur ☿ii liquamen; ita ex Spirituum minutissimorum congerie unicus corporis animalis Spiritus. Nobiscum sentit Bartholinus: de luce animalium p. 138. & universa antiquitas. *Unus tantùm*, inquit, *Spiritus mihi, etiam ex antiquorum mente semper visus fuit, variis officiis & forma diversa distinctus, πνεῦμα antiquis dictus.* Unum esse in corporis habitu Spiritum, patet ex amissione virium in morbis calidis, diuturnis, magnis evacuationibus, laboribus, motionibus, & jactura Spirituum, in quibus non amittitur tantum in specie Naturalis, vel vitalis, vel animalis, sed totus Spiritus.

CAPUT

Caput XVII.
DE VITA.

1. Vita consistit in Spirituum radiatione. 2. Patet ex morbis. 3. Ex animi deliquiis. 4. Ex somno. 5. Suffocatione uteri. 6. Ex violentiâ morientibus. 7. Longa vita in quibus.

Vita nostra consistit in Spiritibus, & quidem primariò in eorundem radiatione; quamdiu enim lumine radiant, vivit animal, quamprimum cessat radiatio, cessat vita. Vita autem & radiatio illa statim incipit cum motu. Primam vitam motu incipientem monstravit nobis doctissimus Harveus in ovo in puncto illo saliente seu micante. Motu illo saliente, mediante micante illa radiatione eliciuntur, sese multiplicant & distribuuntur Spiritus, quæ radiatio durat per totam vitam, quousque motus durat: quando desinit motus, desinit radiatio, desinit ipsa etiam vita;

2. Id quod patet ex morbis, qui

conjuncti sunt cum languoribus, Spirituum jacturis, virium imbecillitatibus, in iis pulsus & Spirituum motus debilis, & idcirco radiatio etiam debilior est, obscurior, fracta, ipsaque vita. In muscis lucentibus, in Antillis Caribum, tanquam in speculo deprehendimus, vitam & sanitatem in luce & radiatione, morbum & mortem in extinctione lucis consistere, de his Ephem. erudit. octava anni 1667. p. 99.

3. Ex lipothymia, ἀσφυξία, in qua deficit motus, & hinc radiatio, & sensus, idcirco deficit ad tempus vita, præsente etiam anima; restituto motu, radiatio restituitur & vita.

4. Patet id ex somno in quo obscurantur ex parte Spiritus, ideoq; radiatio eorum frangitur & impeditur, ut alibi monstratum: hinc illud: *Stulte quid est somnus? gelidæ nisi mortis imago, & mors somni frater.* Patet ex hirundinibus, ranis, aliisque insectis, ursis in terræ latebris semi annuum somnum dormientibus,

entibus, ob ſuppreſſam ex parte & impeditam Spirituum radiationem ſemimortuis.

5. Patet ex mulieribus ex utero ſuffocatis, quæ propter debilem & inſenſibilem Spirituum motum & radiationis debilitatem pro mortuis ſepultæ. De occulta & inſenſibili hac vita ſuffocatorum ab apoplexia fœti, ex utero, ſub aquis, mentionem fecimus ſupra cap. 16. §. 3.

6. Patet ex mortuis per violentiam interemtis, in quibus Spiritus ſuperſtites quidem ſunt, verum cùm motus eorum motu aſtralium Spirituum & influentiarum attractione non poſſit conſervari, continuari, idcirco nec radiare amplius poſſunt, nec vivere.

7. Conſervatio itaque vitæ, ſeu longa vita conſiſtit in conſervatione Spirituum, eorundem motu & radiatione. Spiritus autem conſtant calido & humido; calidum itaque conſervandum pariter ac humidum

dum. Calidum est igniculus aliquis lucidus, lucens, radians; humidum, pingue & oleosum igniculi seu flammuli vehiculum. Ista itaque duo curiosè conservanda sunt, & per similia alenda, quò minus eorum fiat à corpore divortium aut jactura: &, 1. quidem in motu. 2. in radiatione, in quibus ut diximus animalium consistit vita: Spirius enim si non deficerent, homo esset immortalis. De his fusius l.2. tit. de longa vita.

CAPUT XVIII.

DE SANITATE ET NATURALI SPIRITUUM *Constitutione.*

1. Tabula naturalis Spirituum constitutionis. 2. Sanitas consistit in qualitate. 3. Spiritus debent esse sereni. 4. Puri. 5. Dulces. 6. Calidi & humidi. 7. In quantitate. 8. In motu.

1. SAnitatis formalitas est potentia actiones naturales exercendi, subjectum sunt SPIRITUS.

Causa

Causa est naturalis EORUM constitutio, quæ in tribus consistit,

I. Qualitate
- 1. Serenitate; radiatione, luminositate, luciditate claritate, perspicuitate, pelluciditate, dilatatione, expansione, extensione, tenuitate, subtili & rara igneitate: nec non puritate, simplicitate, homogeneitate, integritate, nitore seu niditate.
- 2. Dulcedine & naturali odore.
- 3. Temperie calida & humida.

II. Quantitate debita, sufficienti copia & robore.

III. Motu astrali-circulari, & naturali influxu.

Sanitatis ratione, & ut sanam vivat homo & longam vitam suscepta

hæc

hæc eſt tractatio, eoque nomine exculta eſt, hactenus neglecta, Spirituum Medicina.

Sanitas autem conſiſtit in naturali Spirituum conſtitutione, quæ in tribus conſiſtit; in debita qualitate, quantitate & naturali motu.

2. Qualitatis ratione Spiritus debent eſſe

3. 1. Sereni, hoc eſt, rara luce, lumine & luminoſitate radiare Spirituum more, tenuitatem habere debitam, expanſionem & extenſionem, perſpicuitatem, diaphaneitatem, raritatem.

Ut ignis igne ſerenior eſt & purior, flamma flamma; ita Spiritus Spiritu; non ſecus ac aëre aër eſt tenuior, rarior; eodem etiam modo & Spiritus. Sereni itaque quando ſunt, ſuaque ſerenitate & radiatione radiant, irradiare poſſunt, illuminare corpora naturalia, eaque penetrare, non ſecus ac ignis ferrum candens.

4. Sub ſerenitate comprehendere

dere & includere debuimus Puritatem. Spiritus debent esse puri, simplices, homogenei, immaculati, sine labe & incontaminati, nullam admittere heterogeneitatẽ, aut alienum seu peregrinum, sed summo nitore & integritate gaudere: hinc corpora dicuntur simplicia; non quòd compositionis sint expertia, cum vicissitudinibus sint obnoxia, cùm calida sint & humida, sed talia dicuntur, quamdiu in ea persistunt subtilitate, tenuitate, puritate. Taliter constituti, puras habent & intemeratas sine errore in organis suis actiones, homoque sanus est, solito levior, sanam vivit & longam vitam, cùm nullam in se habeant corruptionis causam peregrinam externam.

5. Secundò naturalis Spirituum constitutio consistit in Dulcedine: Spiritus sani nullam debent habere peregrinam, acidam, amaram aliamve graveolentem qualitatem, sed suavem dulcedinem. Ipsos Spiritus

tus dulces esse & suaveolentes, patet, quia, 1. dulcibus & suaveolentibus, tanquam similibus, afficiuntur. 2. quia carnes & alimenta cocta & assata dulcem & gratum præbent saporem. 3. quia suavem spirant nidorem, qui Spiritus est expressus ex carnibus per ignem, grato odore nostros Spiritus afficiens. Dulcedo illa, quæ Spirituum & sanguinis balsamus est, æquiparatur dulcedini, quæ est in Spiritu vini, oleo, pinguedine, & sita est in sale quodam dulci & saccharino, hinc dicitur salsedo saccharina. Talis debuit esse Spirituum salino-Saccharina dulcedo, ut seipsos, sanguinem & universum corpus eò rectius à putredine conservarent, cùm alioquin omne sale quod destituitur facilè putrescat. Hinc dulcia appetimus, dulcibus afficimur, dulcibus nutrimur, Spiritibusque naturaliter constitutis conveniunt & salubria sunt. Salina illa dulcedo gustu deprehenditur in potulentis, vino, cerevisia, mulso:

mulso : in alimentis, lacte, & lactis sero, in animalium carnibus, vegetabilibus esculentis : in sensibili Spirituum evacuatione, v.g. in sudore, sanguine evacuato, in quibus salsedo manifestè gustu sentitur: apparet illa ipsa salsedo in fructibus immaturis, in quibus Spiritus acidi, amari, crudi, immites, temporis tamen maturitate maturescunt, dulcescunt: apparet illa ipsa dulcedo in artificiosa & diuturna Chymicorum digestione, in qua liquores amari & acidi iterata circulatione successivè dulcescunt: apparet etiam in radicali rerum tangibilium per liquorem Alkahest resolutione, in qua v.g. ex vino Spiritus separatur suavissimus, longè ab aqua vitæ acrimonia segregatus. Quamdiu itaque humidum illud Spirituum pingue & oleosum dulce est, sani sunt, sanamque habent constitutionem.

6. Tertia qualitas, est Temperies calida & humida. Spiritus homogenii calidi sunt & humidi: Caliditas

liditas consistit in igne, luce & lumine Spirituum: humidum autem quasi habitaculum ignis est & alimentum, quo sustentatur & subsistit. Humidum hoc etiam calidum est, consistit in dulci pinguedine, oleositate, 🜍citate. Vita nostra consistit in calido & humido, quod Temperamentum est viventis, & communiter dicitur calidum & humidum radicale & influens. De hac Spirituum qualitate uberius supra, cumprimis c. 16. in Definitionis enucleatione egimus, propterea crambembis coctam hic non animus est apponere.

II. Naturalis Spirituum constitutio consistit in debita eorum

7. Quantitate, sufficienti copia, mensura & robore, hoc est, quantum sufficit ad sanitatem, ad potentiam actiones naturales exercendi. Ut nimirum debitè & sufficienter concoquant, ut Spiritus ab alimentis sequestrare, ventilare, specificare, sanguinem rubificare, à grumescen-

mescentia præservare, alimenta assimilare, heterogenea sequestrare, corpus & organa movere, gubernare, inque suo robore conservare valeant. Spiritus itaque quando sunt in debita copia, robusta satis nostra sunt corpora & sana, robur enim homini conferunt, omnibusque visceribus & partibus suum, quem vocant, tenorem conservant.

III. 8. Naturalis Spirituum constitutio consistit in Motu circulari, & naturali influxu. Motus, 1. Calorem conservat, 2. alimenta concoquit, & ab iis separat & ventilat Spiritus. 3. rectificat, dulcificat, perficit & specificat eosdem. 4. distribuit eos per omnia viscera, partes & membra. 5. à putredine & grumescentia præservat sanguinem & corpus. 6. heterogenea quævis & excrementa sequestrat & ejicit. 7. corpus movet, gubernat. 8. Lumen in radiatione conservat & vitã. Quamdiu itaque motus iste Spirituum naturalis est in corpore, sanum

num eſt animal, homoque potentiam habet actiones naturales exercendi. De motu iſto prolixius etiam egimus ſuperius in explicatione Definitionis Spirituum.

CAPUT XIX.

DE NATURA.

1. Natura ſumitur pro Deo. 2. Pro creaturarum complexo. 3 Pro eorum virtutibus. 4. Pro rerum magnetiſmo. 5. Pro Spirituũ robore & debilitate. 6. Pro moribus.

VOcabulum Naturæ apud autores πολύσημον eſt.

1. Primò ſignificat Deum, qui Natura eſt Naturans, de qua Seneca in IV. de beneficiis. c. 7. præterea quacunque ſignificatione ſumatur, ſemper innuit Spiritus, Spirituum virtutes, dotes, affectiones, conſtitutiones, facultates, indolem, activitates. Mundus viſibilis utrobique gubernatur & conſervatur ab inviſibili.

2. Ita Natura ſumitur interdum, 1. pro omnibus creaturis, & quæ in creatu-

creaturarum ſunt ſerie: ita nonnulla dicuntur eſſe in Natura, id eſt, inter creaturas, aut in creaturarum ſerie.

3. 2. Natura ſumitur interdum pro virtutibus creaturarum, energiis, facultatibus & virtutibus, quas Glorioſus Creator creaturis ſuis impreſſit, e. g. Naturam, hoc eſt, facultatem, virtutem dedit homini generandi, vegetabilibus vegetandi, ſeſe multiplicandi; igni calefaciendi.

4. 3. Interdum pro lege illa regulari & immutabili quam divina ſapientia creatis ſuis imperavit; v.g. aſtris injunxit motum perpetuum, quem religioſè obſervant elementis deſiderium, magnetiſmum, ſympathiam, fontem ſuum & originem appetendi, ſimilibus appetitum ſeſe congregandi.

5. Natura etiam ſumitur pro Spirituum robore & debilitate. Hinc Natura dicitur robuſta ratione Spirituum, quatenus in quantitate ſunt ſufficienti; debilis, ratione paucita-

tis eorundem: & hinc Natura dicitur optima morborum medicatrix, quæ facultas & natura medicatrix sita est in Spiritibus, eorundem robore, virtute, activitate. Tota itaque Natura, omneque in Natura naturale est à Spiritibus.

6. Demum Natura sumitur pro moribus, qui sequuntur temperamentum; v. g. homo naturâ dicitur hilaris, tristis, calidus, frigidus, &c. illa autem naturarum & morum diversitas etiam est à diverso Spirituum temperamento, dispositione, constitutione: Magnanimus Spiritus habet Leoninos, hoc est, calidos: meticulosus, leporinos: hoc est, tenebricosos: fatuus, stupidus, asininos, hoc est, impuros. Mores sequuntur Spirituum indolem & temperiem, ut in sequenti titulo de Temperamentis fusius monstrabitur.

CAPUT

CAPUT XX.
DE TEMPERAMENTIS.

1. Temperamentum quid? 2. Calidum. 3. Humidum. 4. Frigidum. 5. Siccum. 6. Sanguineum. 7. Cholericum. 8. Phlegmaticum. 9. Melancholicum. 10. Hilares qui? 11. Iracundi unde? 12. Segnes. 13. Morosi. 14. Meticulosi. 15. Judiciosi. 16. Memoriosi. 17. Temperamentum est Spirituum productum. 18. Temperamenta mutantur. 19. Catarrhi unde? 20. Temperamentorum differentiæ. 21. Temperamenta sexus. 22. Mutatio.

QVomodo Temperamentum à Physicis & Medicis sumatur, tyronibus notum est.

1. Nobis non aliunde, & nihil aliud est, nisi certa & peculiaris constitutio & dispositio Spirituum. Quocunque enim modo à Physicis sumatur & Medicis Spiritus constituant Temperamentum misti & viventis. Sine Spiritibus corpus naturale non potest dici temperatum aut intemperatum.

2. Calidum illud, ignis est seu

Spiritus misti & viventis, & ille Spiritus in vivente movetur, in misto quiescit, communiter dicitur calidum innatum.

Humidum est habitaculum ignis, pingue illud & oleosum, radicale & influens, quod communiter humidum radicale dicitur, seu primigenium, de quo supra in definitione Spiritus egimus.

4. Frigidum est Spiritus frigidus, qui in absentia sufficientis caloris notabiliter percipitur.

5. Siccum est receptaculum, vehiculum humidi & calidi, vel potius siccitas est ex insufficientia humidi; pinguis, oleosi, ♀rei, radicalis & influentis.

6. Temperamentum itaque sanguineum calidum est & humidum, constituitur ex serenitate, puritate, & naturali temperie Spirituum calida & humida.

7. Cholericum, calidum est & siccum, ex prædominante calido seu igne, & non sufficienti humido, oleoso.

8. Phleg-

8. Phlegmaticum, humidum est & frigidum, ex imminuto igne seu calido & luxuriante humido oleoso.

9. Melancholicum, frigidum & siccum, ex insufficienti quantitate calidi naturalis seu ignis, & humido pingui seu oleoso.

10. Sanguinei, ratione morum hilares sunt, ob spirituum naturalem constitutionem, calidam, humidam, eorumque serenam radiationem. Serenitas enim, lux, lumen, lætitiæ causa sunt, in macro- & microcosmo, tenebræ contra, tristitiæ, mœroris. Serenantia Spiritus hominem reddunt hilarem, qualia sunt v. g. vinum, omniaque calefacientia facultatem habent serenandi, extendendi, purificandi Spiritus.

11. Cholerici animosi sunt, ex nimia Spirituum libertate & prædominio calidi seu ignis, qui non satis coërcetur, cohibetur & moderatur, nec sub jugo & imperio tenetur ab exigua illa pingui & oleosa

humiditate, qua aliàs immergitur, sufflaminatur, & temperatur: idcirco facili negotio, ignium instar erumpit, coruscat, exardescit ex idea hostili feriente Spiritus, motu orgastico extenduntur, inflantur, igniuntur, corpusque incalescit, facies efflorescit, hinc ira, iracundia, excandescentia.

12. Phlegmatici sedatiores sunt, ob humidum oleosum, quo immersus est ignis alioquin activus, & quod obducit & obtundit eum.

13. Melancholici cogitabundi sunt, morosi, constantes, ob Spirituum densitatem, spissitudinem, crassitiem, consistentiam, firmitatem, quietudinem:

14. Tristes, meticulosi fiunt, impuritas si accedat & tenebricositas: tenebræ causa sunt metus, tenebræ enim è diametro opponuntur luci, hinc perpetuus metus:

15. Judiciosi sunt melancholici, ob siccitatem, in qua dicitur esse judicium: ideæ enim Spiritibus oblatæ &

tæ & impressæ minus fluctuant, sed ea quæ congrua sunt & conveniunt commodius mutuò coaptantur, hinc judicium.

16. Memoria & judicium in uno subjecto non combinantur. Memoria enim est in Spirituum humido, pingui, in quo facilius, clarius, magisque luculenter imprimuntur rerum ideæ, non secus ac in cera ductili imagines. Fluctuant tamen magis in humida quàm in sicca constitutione.

17. Temperamentum itaque seu complexio, Spirituum productum est & emergens. Spiritus hominem constituunt temperatum, calidum, frigidum, humidum, siccum, pro ratione constitutionis eorundem. Ut corpus universum & singula membra suum habeant debitum temperamentum, requiruntur Spiritus, qui fabricatores sunt temperamentorum seu complexionis.

18. Cùm autem vicissitudinibus & mutationibus obnoxii sint Spiri-

tus, idcirco etiam temperamenta mutantur pro varia mutatione conſtitutionis Spirituum. Spirituum enim igneum, pingue, humidum multiplicari, interdum imminui poteſt: hinc tot temperamentorum viciſſitudines. Spirituum ignis & humidum augeri poteſt liberiore diæta, diſſipari quotidie motionibus, laboribus, exercitiis, cum primis in morbis: 🜍r, in intemperiem convertitur temperamentum, quando pingue, humidum, 🜍r attactu ſalium lixivialium, ☿lium mutatur in aqueum. Apparet hoc mechanicè in lixivio, quod pinguidinem mutat in aquam; idem in ſale ♀ri lixiviali, qui Spiritum vini oleoſum mutat in aquam.

19. Ex ejusmodi Spirituum in aquam converſione fiunt & oriuntur catarrhi ſeu defluxiones, ſcorbuticis ex ſale lixiviali familiares: apparet hoc in purgantibus, quæ humores, Spiritus, carnem & ſanguinem ſale

ſale volatili in liquamen & mucum commutant: ex argento vivo, quod Spiritus & quosvis humores vertit in putrilaginem & ſalivam: ex ſcorbuto, in quo ſal ſcorbuticum Spiritus corrumpit & humores: ex tabe, conſumtione, maraſmo, imprimis ex diabete, in quibus colliquatio accidit Spirituum.

20. Differunt etiam temperamenta ratione ætatum. Infantes & pueri temperamentum habent humidum, ex abundantia oleoſi & pinguis, Spirituum humido radicali, quo igneum obductum eſt & obrutum: juvenes calidi ſunt, ob temperiem Spirituum calidam & humidam. Viri cholerici, calidi ſunt & ſicci, ob paulativam humidi imminutionem, diſſipationem: Senes frigidi ſunt & dicuntur ſicci, ob jacturam & depauperationem calidi & humidi nativi.

21. In ſexu quoque Temperamentorum quædam eſt latitudo. Fœminæ frigidiores ſunt, ob pulſum

debiliorem, plurimum tamen sanguinis generant ob pulsum cordis & arteriarum concitatiorem. Mares seu viri calidiores sunt, ob pulsum duriorem, qui Spiritus reddit puriores, sereniores, magis igneos. Et hæc secundum doctrinam Spirituum, est ratio diversitatis Temperamentorum sexuum, ætatum, ingeniorum, morum, roboris, virtutum: de quibus in subsequentibus sub titulis suis.

22. Temperamentum itaq; mutatur, 1. ætate. 2. victus ratione, cibo & potu. 3. vitæ genere. 4. animi affectibus & pathematibus, v. g. mœroribus. 5. regione. 6. aëris mutatione. 7. morbis, evacuationibus sensibilibus. 8. aliis rebus non naturalibus, vigiliis, repletione, &c.

CAPUT XXI.

DE NUTRITIONE & Metemphychosi.

1. Nutritio fit beneficio Spirituum. 2. In prima coctione fit πνευμάτωσις. 3. Fermentum

mentum quid? 4. Eſt ſalinum. 5. πνευμάτωσις fit beneficio Spirituum. 6. Nutritio fit tantùm per ſpirituoſa. 7. Salita inſalubria ſunt, ut & morticina. 8. Μετεμψύχωσις Pythagorica reſtituitur. 9. Animæ materiales ſunt & conſpicuæ. 10. Actiones ſpecificæ unde? 11. Unde puerorum lumbrici. 12. Unde pinguedo corporis, macies, tabeſcentia.

IN præſenti hac noſtra, de Spirituum Natura, Medicina & morbis, Doctrina, non immeritò tractandus eſt titulus de Nutritione. Doctrinam hanc ad invidiam uſque pertractarunt alii haut ignobiles Medici, ad quorum lectionem curioſos rerum naturalium remittimus ſtudioſos.

1. Nos, hoc loco tantùm quid ad nutritionem conferant Spiritus, exhibebimus, forſan non errabimus, nec peccabimus, ſi, nutritionem ſine Spiritibus fieri non poſſe, aſſerimus. Odore panis id eſt, Spiritu panis triduo vitam produxit Democritus. Loqui ſaturantur odore, id eſt, Spiritibus ciborum,

quos tractant, propterea cibum minus appetunt. Nuysement doctissimo suo tr. p. 175. loquitur ita : *Cibi omnes non sunt nisi excrementa , succum invisibilem & spiritualem tantùm continentes , aptum ut in carnem & substantiam nostram congeletur & transsubstantietur, ac proinde à natura attrahitur, tota massa per loca destinata rejectâ.* Coctionem primam quod attinet , Sennertus hinc inde docet , omnem coctionem esse πνευμάτωσιν , spiritualisationem , Hippocrates vocat , meteorisationem , sublimationem , quæ initium suum statim in stomacho sumit, ibi enim alimentorum prima fit analysis , separatio , in chylificatione, beneficio spirituosi fermenti. In prima statim coctione fieri Spirituum separationem ab alimentis evincunt ructus nidorosi , qui nihil aliud , nisi Spiritus ab alimentis separati , qui, cum sint leves per superiora exitum quærunt , Spiritus autem esse alimentorum ex nidore patet.

Pneu-

2. Pneumatoſin illam alimentorum maximè promovet in prima coctione fermentum ventriculi. Fermētum ventriculi eſt vel Spiritus acidus ventriculo nativus, vel Spiritus quispiam quotidie aſſumtorum, quo tunicæ ventriculi imprægnatæ ſunt, inebriatæ, imbutæ: ille Spiritus reciprocè radiat in reaſſumta, evocatque per ſimilitudinem Spiritus ex alimentis, & hæc eſt prima & rudis ſeparatio Spirituum à cibis & potu per fermentum iis conveniens & ſimile, omnis enim ſolutio fit per ſimilia. In aviculis, gallinis acidus eſt, ut & in hominibus, interdum amarus, hinc per acida & amara ſtimulatur & vegetior redditur: interdum aſſumtorum quodammodo ſaporem ſapit, hinc ratio ſumitur, quòd dura, concoctu difficilia, concoquantur faciliùs, ab iis, qui aſſueti ſunt duris cibis, quàm mollibus.

2. Sunt, ut dictum, nonnulli, qui Fermentum ſtomachi ſalinum

ſtatuunt, & quidem non ſine cauſa: omnes enim ſolutiones fiunt per ſalia, etiam Spiritus vini ſolvens ſuam habet acrimoniam à ſale dulci volatili: menſtruum univerſale dicitur ſal circulatum. Illud ſal ſeu fermentum eſt Spiritus ſalinus, vel acidus, vel ab aſſumtis ventriculo inſpiratus, qui facultate terebrante, pungitiva, ſtimulante pungit, vellicat ſtomachum, & hæc punctura & vellicatio fames dicitur, & naturalis; ſin luxuriat caninus: in diuturna fame ſolvit ille Spiritus fermenti ſalinus, corrodit, conſumit, liquefacit ipſam ſtomachi ſubſtantiam acritudine ſua, hinc intolerabilis cum continua fame conjuncta eſt tortura, dolor & mors tandem acerba, miſerabilis.

Sal illud fermentale ſeparat à cibis acritudine ſua alimentorum compagem & ligaturas, Spiritus fugat, iiſdemq; anſam præbet, imò januam aperit fugiendi, ſervitutis jugum excutiendi, & libertatem capeſcendi. Fer-

Fermenta ſalia eſſe patet ex fermentorum omnium ſapore ſalſo, amaro, ſtiptico, acido, qui omnes haut tacitè & indubie inſinuāt nobis fermentorum naturam ſalinam. Salia illa eſſe Spiritus patet mechanicè ex calore & mutua actione, quando enim ejusmodi ſalia committuntur ad fermenteſcendum, mutua fit, non tantùm actio & colliſio, ſed calor etiam exoritur ſatis ſenſibilis, imò incendium, ignem enim concipiunt: Kergerus de ferment. p. 169. *Spiritum vini à phlegmate purgatiſſimum, ſpiritui minerali acido rectificatiſſimo ſive fuerit ſpiritus nitri, ſive vitrioli, ſive ſalis, ſive aquæ fontis infundas, fermeteſcendo flammas concipiunt.* Salia eſſe meros ignes, patet ex alkalibus, ſalibus concentratis, calce viva. Obſervationes enim docent calcem vivum in inundationibus, in mediis fluctibus flammas concepiſſe, domos conflagraſſe. Illud ipſum igitur fermentum, ut ſupra dictum, ſalinum, ineſt partim

natu-

naturaliter ventriculo aliisque visceribus & partibus connatum, ut apparet ex tunicis ventriculi gallinarum, quæ acidi sunt saporis; partim e. g. ex pane, aliisque alimentis assumtis ventriculo communicatum est, & quasi inspiratum.

5. Prima itaque πνευμάτωσις in ventriculo fit beneficio fermenti, hoc est, Spirituum salinorum, qui alimentorum partes facultate salina, hoc est, aculeata, terebrante, pungente, separant & dividunt, alimentorum Spiritus sentientes pungunt, ad fugam irritant, stimulant. Extemporaneam autem πνευμάτωσιν, & Spirituum ab alimentis fieri in ventriculo separationem, patet ex alimentis & potulentis spirituosis, 1. enim ructus, qui ejusmodi ex alimentis elevantur & fauces feriunt & nares, Spiritus sapiunt, & Spirituum habent acrimoniam. 2. quia Spiritus in ventriculo ex alimentis separati caliditate & dulcedine sua feriunt orificium ventriculi, &

li, & per consensum capitis & cerebri membranas seu ipsum caput: hinc post vinum incalescentia, color roseus, ebrietas, somnus, animositas, non nisi à naturali Spirituum dulcedine, generositate. Spiritus enim vini, qui quasi in limine hærent, facili negotio à vino sunt separabiles. Helm. p. 724. *Reperio, quòd vinum parte sua v nosa, aquam vitæ contineat, ideoq; facilè, citò atque absque fellis digestis maturitatibus rapi per arterias stomachi ad cor, sive advocari immediatè in supplementum & defectum Spiritus vitalis.* Sicut itaque ea, quæ facilis sunt solutionis spirituascunt, eodem etiam modo, & ea quæ difficilioris sunt solutionis & coctionis, debent spirituascere ab appropriatis suis fermentis, ut in prima, ita multò magis in secunda & tertia coctione: itaratæ enim coctiones sunt iteratæ alimentorum solutiones, Spirituum sequestrationes, rectificationes, circulationes, purificationes.

6. Porrò nutritionem fieri & conſervationem corporum animalium per Spiritus, patet etiam exinde, quòd alimentis tantùm & poculentis ſpirituoſis nutriantur & conſerventur. Ut ignis, igne conflagrabiliũ ſuſtendandus eſt & alendus: ita etiam Spiritus corporis noſtri tantùm per Spiritus alimentorum igneos. Tenzelius inquit: *Nil quicquam nos alere poteſt, niſi quod ipſum etiam alatur, ſitque vitâ praeditum, quoniam noſtra vita, noſtraque mumia vitali & congenere, neque corporis noſtri ſubſtantia, aliâ niſi illorum materia ſuſtineri poteſt.* Vinum, aliaque ſpirituoſa in os ſumta, ſtatim reficiunt hominem, non aliunde niſi per Spiritus. Hinc omnium Medicorum conſenſu carnes recentes ſalubriores ſunt, quàm ſale conditæ, & fumo induratæ. Recentes enim ſucci & Spirituũ adhuc plenæ ſunt, copioſiores itaque ſuppeditant corpori Spiritus & longè efficaciores: ſalitæ contra, paucos, craſſos,

crassos, salinos, acres, impuros, fermento putredinis infectos, morbosos; hinc obstructiones, malum hypochondriacum, scorbutus, arthritis vaga, & infinita, inexhausta malorum & morborum ilias.

Nocentissimæ sunt carnes morticinæ, utpote quæ seminia morborum, ideam mortis sibi & Spiritibus impressam, imò ipsam mortem in se continent, & hinc, quò minus tangantur, in lege divina prohibitum est. Spiritibus itaque corpus nostrum nutritur & conservatur, id quod minus spirituosum est, per emunctoria, tanquam scoriæ & quisquiliæ rejicitur, v. g. vinum vomitu rejectum, vinum non amplius est, sed vappa acida tantùm, iners, excors, elumbis, nullarum ferè virium. Per urinam quicquid emittitur est partim aqueum, partim salis parum in se continet. Alvi feces spiritus quidem retinent quosdam, purioribus tamen orbatæ sunt. Natura itaque spiritus sibi à cibis curiosè

riosè & sedulò separavit nobiliores, pro sui restauratione & conservatione. Imò ipsa universa sanguinis substantia Spirituum beneficio spirituosa est, & tota volatilis in corpore humano, nullæ enim partes in sanguine fixæ sunt, sed omnes successivè per sensibilem & insensibilem transpirationem volatiles sunt & fugitivæ.

8. Pythagoras Philosophorum sapientissimus, cùm ingenii acumine observasset, sublunaria omnia Spiritibus tantùm vivere, nutriri, docuit discipulos suos animas sensitivas & vegetabiles migrare è corpore in corpus. Per animas autem nil aliud potuit intelligere, nisi animas sensitivas & vegetabiles materiales, quas uno nomine Spiritus vocamus. Non animas hominum intellixit sapientissimus Philosophus, quæ divinæ est particula auræ, immortalis, & confessione saniorum etiam Ethnicorum in campos Elysios, seu verius ad Deum, à quo origi-

originem ſumſit, per magnetiſmum & naturalem ſimilium tractum, transmigrabilis, ut teſtantur inter alia verba Ciceronis & Senecæ. Succeſſores ejus non ſatis mentem & intentionem Præceptoris aſſecuti, extenderunt Μετεμψύχωσιν ad animas etiam hominum immortales, ſed malè. Metempſychoſis nihil aliud eſt, quàm circulatio & transmigratio Spirituum vegetabilium in animalia, animalium in animalia, animalium in homines, hominum & animalium in aëreos, aëreorum in terram, terræ iterum in vegetabilium. Et hæc eſt rerum naturalium periodus, circulus, initio & fine carens, antiquorum ſerpens gyratus, ſeipſum mordens, caudamque ſuam devorans.

9. Animæ ſenſitivæ & vegetabiles materiales dicuntur, materiæ immerſæ: ſi jam animæ ſunt materiales & materiæ immerſæ, utique in corporum naturalium accuratiſſima in partes & atomos ſubtiliſſima reſo-

resolutione, demum sese ostendent, & in conspectum prodibunt, nil autem in simplicissima corporum naturalium analysi, quæ fit vel per ignem, vel per fermentationem amplius apparet, quàm principia naturalia omnibus cognita & conspicua. Non in terra latitat anima potior animalis pars, quæ caput mortuum est & segne, ut dicitur principium: non in aqua, quæ minus est actuosa & ignea. Ergo vel in 🜍re vel in sale, vel spiritu, dico in Spiritu, quia 🜍r & salia sunt Spiritus concentrati, & in Spiritus resolubiles: anima igitur erit vel in Spiritibus, vel potius ipsi Spiritus erunt ipsa anima sensitiva & vegetabilis: anima enim est ignis, Spiritus autem sunt ignei, inflammabiles, conflagrabiles penitus, nil nisi meri ignes. Animas seu Spiritus, animalia ingredi, è corpore in corpus migrare, demonstrant sensus. Videmus enim ex animalibus mortuis & putrefa-

trefactis regenerari animalia. Resolvuntur corpora mortua in ea animalia, quibus viva vesci sunt solita.

10. Quod autem attinet actiones sensitivæ & vegetabilis specificas, divioniores, secretiores, quæ Spiritibus à corpore solutis minus convenire videntur, sciendum est, illas facultates omnes diviniores habere, & Spiritibus inspiratas esse in prima creatione à Creatore. Omne enim quod creavit, vivificum creavit creator, animatum, spirituosum, & hinc anima est prolifera, proprium sibi format domicilium, aliasque habet affectiones & operationes specificas. Has, inquam, habent & peragunt vi & facultate phantasiæ creatricis, quæ divina est, & à Deo, potens, fœcunda, multiplicabilis, beneficio verbi benedictionis & creationis. Non itaque mirum est, Spiritus habere potestates, occultas, inexplicabiles; quicquid enim habent, habent

bent ex dotatione, diſpenſatione, benedictione & verbo glorioſiſſimi Conditoris, quam facultatem & quas vires retinent, non ſolùm in ſpecificis ſuis habitaculis, ſui quando ſunt juris & liberi, ſed etiam aliis corporibus involuti, incarcerati, & quaſi ſubjugati: v.g. Spiritus vermis ſubjugo, e.g. arboris & ligni, obtinet ſub jugo facultatem formandi corpus proprium, ſeſeque multiplicandi, aliasque ſpecificas facultates, quam primum enim liber & ſui juris fit Spiritus vermis, exſpirante anima vegetabili, ſuum ſibi ſtatim proprium format & conveniens domicilium, iterumque fit vermis, e.g. lumbrici terreſtres, ova fibris radicum arborum affigunt, ſuccum liquefactum cum ſucco terræ, fibræ ſugunt, attrahunt, & fit nutrimentum arboris & fructus, quieſca infantium, in quibus fatiſcente & corrupto vegetabili, animalis Spiritus jugum excutit, fotu excluditur, ſuumque proprium ſibi format domicilium. Ex

Ex quibus omnibus jam dictis patet animam sensitivam & vegativam nil aliud esse, quàm Spiritus, qui facultatibus suis instructi sunt, virtutibus animati, dotati, hinc specificè actuosi. Quando itaque cum alimentis assumimus Spiritus animalium & vegetabilium, ingrediuntur corpus nostrum, nobis & naturæ nostræ fiunt domestici & familiares, juxta Pythagoram dicuntur migrare è corpore in corpus, mutari in animas nostras, & hæc est vera μετεμψύχωσις.

12. Unicum adhuc circa nutritionem succurrit. Cur quorundam corporum habitudo pinguescat, crassa fiat, & carnosa, aliorum gracilis sit, nonnullorum planè tabescat? Ratio est, quòd ii, qui Spiritus habent sanos, naturaliter constitutos, ex alimentis avidè propter similitudinem & identitatem alimentorum Spititus attrahant, retineant, multiplicent, coacervent, sibique assimilent. Hinc pinguedo,

crassities, carnositas naturalis, congeries est multorum concentratorum coagulatorum Spirituum. Macilenti contra Spiritibus abundant peregrinis, qui in stomacho, intestinis & primis statim viis alimentorum Spiritus sentientes fugant, hinc scorbutici, hypochondriaci, utplurimum macilenti sunt, flatulenti, Spiritus enim alimentorum nutrientes, pinguefacientes, maximam partem in primis viis, in flatus redacti, per ructus aufugiunt, nec in sufficienti copia ad partes intimiores admittuntur, nedum assimilantur. Corpora morbosa, tabescentia, morbosis scatent, tabificis, alios mortificantibus Spiritibus, hinc tabes, marasmus, phthisis.

CAPUT XXII.

DE SENSIBUS EXTERNIS.

1. Sensus fiunt per Spiritus. 2. Externi. 3. Spiritus percipiunt externa grata & ingrata. 4. Quid multi scientia? 5. Quid phantasia?

1. Sen-

1. SEnsus, Philosophorum & unanimi Medicorum consensu fiunt per Spiritus. Ut enim naturaliter fiant, requiruntur Spiritus.

2. Ubi sensus, ibi Spiritus & vice versa. Ut oculus videat, necesse est, ut oculi humores per nervum opticum Spiritibus illuminentur, quod patet in ἀμαυρώσει, ubi humor crystallinus à Spiritibus non illuminatus est, hinc cæcitas; omne itaq; animal Spirituum beneficio videt; ita si auditus organis sui denegentur nervi, aut Spirituum influxus, abolетur auditus: sin linguæ, sermo; ita in paralysi, quando membro denegatur Spiritus, insensibilitas suboritur , & denegatur motus, omnes enim actiones, naturales, vitales, & animales, à Spiritibus. Ita lassitudo est à Spirituum defatigatione & jactura; tremor à debilitate & inopia; convulsio & motus convulsivus, à Spirituum vitioso motu. Motus impotentia à Spirituum insufficientia & defectu. Sternutatio,

horror, rigor à re Spiritus molestante. Vertigo à Spiritibus cerebri in gyrum quasi agitatis.

3. Imò Spiritus percipiunt etiam assumta interna, grata & ingrata, afficiuntur medicamentis extra applicatis: propterea membra dicuntur olfacere gratum & ingratum, cumprimis uterus, externè applicata. Per organa sensuum, Spiritibus etiam Idéæ communicantur: seu organa sensuum Spiritibus illuminata, irradiata, Spirituum beneficio quasvis rerum ideas suscipiunt, nil enim incurrit in mentem, quod non prius fuerit in sensibus: quicquid igitur scimus, per sensuum externorum Spiritus nobis est communicatum, spiritibusque impressum.

4. Hinc humana notitia & multiscientia nihil aliud est, quam multitudo idearum, Spiritibus per sensus externos homini impressarum, res enim non intrant Spiritus, sed rerum ideæ: doctus ab indocto non differt, nisi idearum pluritate: lu-

crum,

crum, quod quis ex longa peregrinatione domum reportat, nihil aliud est, quàm multitudo idearum hinc inde collectarum & sensibus impressarum, quas ideas iterum depromit: per sensum visus imprimimus Spiritibus ideas rerum externas: per gustum, ideas saporum: per odoratum, ideas odorum: per tactum rerum superficies & consistentias.

Et ea ipsa procul dubio ratio est, quòd quilibet in pręcõcepta opinione, in Philosophia sua & religione, in qua in juventute informatus est, admodum pertinax est; is enim informationis suæ ideas à pueritia sibi fortiter impressas, pertinaciter retinet, defendit, quæ difficulter aut planè non obliterare & eradicare permittit.

5. Phantasia autem est Spirituum labor continuus & indefessus rerum ideas volvens, revolvens, emittens; judicium autem coaptat.

CAPUT XXIII.
DE GENERATIONE.

1. Generatio est creatio. 2. Fit per phantasiam. 3. Quid sperma? 4. Fœcunditas in Spiritibus consistit. 5. Unde mutuus amor. 6. Ratio pulcritudinis.

1. GEneratio nihil aliud est, quàm nova & iterata creatio. Facultas illa generandi seu creandi, homini & animalibus communicata est per verbum benedictionis: Crescite & multiplicamini, cujus verbi vi & potestate generat homo hominem, animal animal, vegetabile multiplicat vegetabile. A DEO per verbum benedictionis emanavit in animam & Spiritus virtus benedicta, quæ cum à DEO, divina ἐντελέχεια est, infinita generandi, & in infinitum prolificandi, sese multiplicandi facultatem obtinuit.

2. Facultas illa generandi & multiplicandi exserit sese in forti illa libidinosa phantasia; spermata enim, ut de generatione docet Har-

Harvéus, fœcunda & animata redduntur per fortem libidinis phantaſiam; ſecundum enim ejus & neotericorum obſervationes, partes ſeminis maſculini, craſſiores nihil conferunt ad generationem, ſed Spiritus geniales fœcundum & proliferum reddunt ſemen, animantq; ova fæminina alioquin fatua.

Omnis itaque generatio neceſſariò fit & naturaliter beneficio Spirituum. Harvéus de generatione, p. 142. *Nec enim teſte Ariſtotele*, inquit, *quod ſemen fœcundum reddit eſt ejus corpulentia, aut ignis, aut talis facultas aliqua, ſed Spiritus, qui in ſemine ſpumoſoque corpore continetur, & natura, quæ in eo Spiritu eſt, proportione reſpondens elemento ſtellarum.*

3. Sperma eſt ſubjectum ſeu vehiculum Spirituum genitalium; ſperma eſt corpus ſpirituoſum, cui in complexu Venereo per fortem libidinis phantaſiam hominis idea eſt impreſſa; ex frequenti Venere & ſeminis emiſſione debilitantur ho-

mines, infrigidantur & ſterileſcunt. Coſmopolita, inquit: *Experientia teſtatur, homines veneri nimium deditos & indulgentes debiliores fieri, ut arbores nimios fructus ferētes fieri poſtea ſteriles.* Avicenna. *Coitus*, inquit, *evacuat de ſubſtantia Spiritibus rem plurimam, propter delectationem, & propter illud, qui plus delectantur, plus ſunt cadentes in debilitatem.*

4. Ratio itaque fœcunditatis non in anima ſolùm, ita enim omnes promiſcuè eſſent fœcundi, ſed in Spiritibus lucidis, luminoſis, puris, ovarium muliebre fœcundantibus, quærenda eſt. Sterilitas eſt ex defectu luminis, hinc humida, impura, morboſa corpora, ut & ſenes ſteriles ſunt. Sanguinei ſpermate abundantes, & viri ob Spirituum ſerenitatem aptiores ſunt ad generandum, quàm frigidi & ſenes: hinc impotentia generandi, ligatio, ſterilitas eſt vel Spirituum ligatura, vel defectus, luminis immutatio aut obfuſcatio. Pollutio nocturna

eſt

eſt à Spirituum turgeſcentia, abundantia, efferveſcentia: dum enim idea laſciva in ſomno Spiritibus obviam venit, phantaſia protrudit ſemen & ejicit. Idea itaque laſciva, pulcra, vel revera talis vel apparenter, Spiritibus obvia & impreſſa movet omnes Spiritus, cumprimis autem geniales: frequens appetitus venereus partim ex Spirituum abundantia, luxurie & ebullitione, partim à laſciva & pulcra idea Spiritibus obviante.

5. Mutuus amor eſt ex identitate, ſimilitudine, paritate & conformitate Spirituum ſeu temperamentorum. Fœcundum conjugium eſt à ſimilitudine & inter ſe Spirituum convenientia, maris & fœminæ: Si enim temperamento conveniunt, utique fœcundi ſunt & concordes, ſi non, ſteriles: hinc ſi juvenis juvenculæ conjungitur, utplurimum fœcundi ſunt: ſin autem diverſæ ætatis copulantur conjuges, utplurimũ diſcors ſuboritur & ſterile conjugiũ.

6. Ut calidum & humidum optimum constituit temperamentum, ita omnem in natura format pulcritudinem, formositatem. Hominis venerem experti constitutio mutatur, ob Spirituum orgasmum, ebullitionem, turgescentiam & jacturam, hinc venerem ex pertiraucescunt, hircissant, turgescunt.

CAPUT XXIV.

DE VIRIBUS PHANTASIÆ ET IDEIS.

1. Quid phantasia? quid judicium? 2. In quibus conspicua. 3. Cumprimis in pathematum ideis. 4. Quid idea per exempla demonstratur. 5. Idea ☉is oculo imprimitur. 6. Ideæ rerum externarum per sensuum organa Spiritibus imprimuntur. 7. Violentæ difficulter tolluntur. 8. Ideæ scientiarum & artium. 9. Ideæ in somniis recurrunt. 10. Ideæ morbosæ. 11. Hæreditariæ. 12. Pathematicæ. 13. Pavoris & mortis. 14 Ideæ iræ, terroris. 15. Spirituum humidum assimulatur ceræ. 16. Idea timorosa. 17. Ideæ animalium pathematicæ. 18. *K*ircherus refert ad occultum magnetismum. 19. Ideæ sanitatis sunt

ſunt & morborum cauſæ. 20. Sunt in duplici differentia. 21. Fermentales ſunt, & ſeminales. 22. Phantaſia format ideas. 23. Ideas multiplicabiles. 24. Serpens animal eſt innocuum. 25. Canis lambendo curat vulnera. 26. Vipera alexipharmaca eſt, ſignaturam habens palingeneſias. 27. Animalia veneni ideam creant ex tempore. 28. Illud venenum ideale ignis inſtar eſt multiplicabile & exitiale. 29. In morbis idealibus non opus eſt purgatione. 30. Helmontius curat eos, per extinctionem. 31. Phantaſiæ vires vix nobis ſunt explicabiles. 32. Mirabiles ejus juxta Baconem virtutes.

1. PHantaſia eſt actio & facultas divinior à Creatore homini inſpirata, Spiritibus communicata, cujus beneficio non tantùm cognoſcit rerum ideas externas, ſed etiam volvit, & revolvit demumque coaptat, & tunc judicium dicitur. Imò ideas formandi & multiplicandi poteſtatem habent Spiritus, quos ſibi imprimunt, quibus vario modo diſponuntur, & hinc ſanitas, interdum & morbus. Libidinis phantaſia ſemen reddit proliferum, ea-

dem, embryoni nævos imprimit, monstrosum interdum efficit.

2. Virtus phantasiæ hinc inde conspicua est,

3. Cumprimis in animi pathematibus, in quibus variè disponit, movet, agitatque Spiritus, iisdem varias imprimit pathematum ideas & charagmata, quæ sanitatis pariter & morborum causæ sunt; indeque fit; quòd Spiritus, qui antea erant sereni, tenebricosi; qui crassi & impuri, sereni fiant & clari; qui quieti, inquieti, trepidantes, furibundi.

4 Quid sint ideæ, quæ partim formantur à Spirituum phantasia, partim per phantasiam corporibus Spirituum humidis ceu sigillis imprimuntur, difficulter exprimere possumus; superius, c. 12. in seriem Spirituum ideas promovimus.

Per exempla jam existentiam earum & quidditatem quodammodo demonstrabimus.

5. Idea, v. g. ☉is imprimitur oculo

culo noſtro, quando poſt ☉is ob-tutum oculus clauditur, deprehen-ditur idea quædam ☉is poſt obtu-tum.

6. Illa ſuo tempore durabilis eſt, tandem evaneſcit: ita nubibus im-primitur iris, idea ☉is; eodem mo-do Spiritibus noſtris, per ſenſus ex-ternos omnium rerum communi-cantur ſimulacra & ideæ, v. g. viſibi-les, per viſum: audibiles per audi-tum, hinc campanarum ſonus diu poſt ceſſationem ſonat in aure: ita ſpecies ſaporis figitur in Spiritibus, ita ut quando reçordamur delecta-bilis ſaporis, mirificè afficiamur, & ſalivemus. Ita circa recordationem rei cujusdam abominabilis nauſeat ſtomachus, aut vomiturit ventri-culus.

7. Ejusmodi ideæ, præſertim violentæ, interdum admodum dif-ficulter obliterantur, tolluntur, & non mirum, ſi ad obtutum ☉is, tanquam ſubjecti lucentis violenti, violetur viſus: idem accidit viſui

Insulanorum in Archipelago, qui aliquot diebus insolitas intuiti sunt & terribiles eructationes igneas è terra & mari, de quibus Kircherus in mundo subterraneo.

Epilepsia puerorum ex terrore Spiritibus adeo profundè imprimitur, ut hæreditaria fiat, imò in nepotem propagabilis.

8. Eodem modo & corporis nostri Spiritibus, in scientiarum & artium apprehensione rerum infinitarum inculcantur ideæ.

9. Ideæ Spiritibus per sensus impressæ recurrunt nobis & apparent in somniis, v. g. idea parentis, fratris, conjugis, amicorum, canis, & cujusvis rei antea perceptæ.

10. Ita morbosæ dantur ideæ, v. g. epileptica, hydrophoba, saltatrix.

11. Hæreditaria, v. g. abominatio casei, butyri, pomorum, rosarum.

12. Pathematica, terroris, mœroris, tristitiæ, ærumnosæ, terribilis:

bilis: ita laſciva Spiritibus imprimitur idea ex eſu laſcivientium: pigra, ex uſu pellium animalium pigrorum: ita putaticius in ſomniis fit homicida aliquis poſt eſum carnis bovis in ferocia occiſi; ita rabidus quispiam fit & hydrophobus ex morſu canis rabidi; ſaltator ex punctione taratantulæ.

13. Idea pavoris, ſudori morientis, ſanguini hirci cum pavore occiſi, inſculpta, pavidos reddit, & tranquillos corporis noſtri Spiritus tumultuantes, turgeſcentes, enormonticos.

14. Ira commovet Spiritus ad turgeſcentiam, ille ipſe Spirituū orgaſmus redit per periodos aliquoties ſedata irâ: illud igitur ipſum, quod ſedata ira Spiritus commovet de novo, vocamus ideam iræ; ita illud ipſum quod longè poſt terrores, paroxiſmos epilepticos Spiritus ad motum trepidationis, vibrationis vel convulſionis concitat, dicitur idea terroris.

15. Corporis noſtri Spiritus calidi ſunt & humidi, talemque habeāt conſtitutionem, ut ceræ inſtar quasvis facilè ideas, ceu ſigilla, imprimi ſibi patiantur, quæ ideæ prout fortiter imprimuntur, vel leviter aut ſuperficialiter, ita pertinaciter vel leviter inhærent: leviter impreſſæ, facili negotio exterguntur, obliterantur, extinguuntur: pertinaciter, contumaciter inhærent, difficulter tolluntur, & interdum in vitam ſunt durabiles,

16. Imò hæreditariæ ſunt interdum & in prolem propagabiles, e.g. idea timoroſa, quæ epilepſiæ cauſa eſt in filium propagata, in nepote non rarò repullulat.

17. Eodem modo & omnium animalium pathemata, indoles, in hominem eſu carnis & ſanguinis transfundi poſſunt; & hinc uſus ſanguinis in lege divina ſeriò eſt prohibitus, cùm ſanguis Spirituum ſit vehiculum.

18. Audiamus Kircherum in arte

magnet.

magnet. l. 3. part. 8. quæst. 2. *Sicut igitur quædam animalia venenosa sunt, quæ prorsus eandem affectionem, quam ipsa patiuntur, morsu in alios transferunt; ita Dipsas serpens, cùm semper fervida siti crucietur, talem quoq; efficit mordendo in homine, juxta illud: ut sitis hanc torquens nullis extinguitur undis; sic rabidam morsu concitat illa sitim. Ita canis rabidi morsus eam passionem, quam in cane efficit, etiam in homine præstat, videlicet ὑδροφοβίαν seu metum aquæ: cerastes quoque, ut ab Ægyptiis accepi, πυροφοβίαν seu metum ignis lucisque, tam in serpente, quàm in homine ejus veneno infecto, incutit. Ita torpedo, torpida membra reddit, & sicut parens quoque podogra, lepra, epilepsia laborans in semine filio eosdem morbos communicat; non secus taratantularum diversarum venena ab insita sibi proprietate videntur icti animum ad eum calorem, quem ipsæ referunt, seu quo ipsæ recreantur, occulto magnetismo, seu cæca quadam naturæ similitudine inclinare.*

19. Nos

19. Nos in hac noſtra Spirituum Medicina ideas ejusmodi conſideramus, quatenus ſanitatis ſunt & morborum cauſæ; ſanitatis, quatenus lætæ, pulcræ, geniales, ſenſus internos & externos afficientes, tales enim extendunt, ſerenant Spiritus: Morborum, quatenus violentæ, odioſæ, tædioſæ: tales, Spiritus reddunt craſſos, trepidantes, meticuloſos, fugientes, ſeſe contrahentes, furibundos.

20. Sunt enim ideæ in duplici differentia; nonnullæ enim oblectant, delectant, recreant, dilatant, & expandunt Spiritus, quales ſunt pulcræ, geniales, lætabundæ, amoroſæ, delectabiles: nonnullæ maximè inimicæ ſunt Spiritibus, iisdemque adverſantur, quales ſunt, v. g. idea odioſa, timoroſa, iraſcibilis, hoſtilis, moleſta, ærumnoſa, lugubris, luctuoſa, terribilis, formidabilis, vindicatrix, tenebricoſa.

21. Ejuſmodi, inquam, ideæ ſanitatis

nitatis sunt pariter & morborũ causæ, & secundũ Helmontium fermentales, seminales & multiplicabiles, ut apparet in ictu taratantulæ & morsu canis rabidi. Cum veneno enim taratantulæ, Spiritibus communicantur ideæ saltatrices, cum saliva canis rabidi multæ canicularum ideæ, quæ etiam nonnunquam in saliva & urina fuerunt conspicuæ.

22. Illud ipsum quod ideas format & multiplicat fortis est Spirituum phantasia, quæ facultas est creatrix, creandi, formandi, multiplicandi Spiritus, species, ideas, e.g. morsus canis rabidi exitiosissimus est, fortis enim Spirituum phantasia cum iracundia ideam iracundiæ ejusdem rabiei & hydrophobiæ transfundit in alterius corporis Spiritus.

23. Quæ ideæ multiplicabiles sunt & fermentales, hinc hydrophobus non aquam tantùm omnesque liquores timet, sed morsu etiam alios impetit.

24. Eadem

24. Eadem ratio eſt in omnium animalium morſibus, e. g. ſerpentis, ſerpens animal alias innocuum, fugitivum, meticuloſum, morſu duntaxat, qui cum forti iracundiæ phantaſia fit, nocet: imò morſus iracundi etiam hominis noxius magis eſt, quàm alia unitatis ſolutio, quatenus cum iracundiæ phantaſia & nocendi intentione fit: iracundiæ enim ſemina ignium inſtar multiplicabilia alteri communicantur, infunduntur, quæ tam exitialia inferunt ſymptomata, quod ex allegatis ſatis patet exemplis. Canis rabidus, ut dictum, Spiritus validos morſu ſuo iracundo, alteri communicat animali, ignis inſtar in eo multiplicabiles.

25. Catus blandiens vulnera cum blandimentis curat cum ſaliva vehente Spiritum blandientem, amoroſum, medicamentoſum, quem creat, & vulneri allambit, infundit.

Viperas venenatas non eſſe aſſerunt obſervationes de viperis

habitæ

habitæ à Francisco Thedo Florentiæ.

26. Viperæ & serpentes per se innocuæ sunt, meticulosæ, fugientes, palingenesias in corpore per exuviarum depositionem habent signaturam, hinc inter alexipharmaca primas tenent, & præcipua theriacæ sunt basis.

27. Vipera, canis, felis, taratantula, aranea, apis, homo, &c. venenum, hoc est, Spiritum iracundum creant ex tempore, quem cum iracundiæ phantasia alicui inferunt:

28. Venena itaque talium videntur mihi esse Spiritus iracundi, qui facultatem habent ignis instar sese multiplicandi, Spiritus nostros suffocandi, consumendi, interimendi, occidendi, & tali modo fiunt, creantur, multiplicantur, & nocent venena quorumvis animalium exitialia. Idem mecum sentire videtur Charasius in Historia Naturali animalium, quæ theriacæ compositionem ingrediuntur; in qua flagellationem

lationem viperarum non ſaltem inutilem, ſed & periculoſam eſſe aſſerit, quoniam Spiritus ita irritati in corpore animalis producere venenum poſſint, ubi antea nullum fuit. Ita bufo ſtimulis irritatus inflatur venenumque ſpirat.

29. In ejusmodi itaque morbis idealibus non ſemper opus eſt purgatione, cùm non ſemper adſit humorum apparatus: extrahunt communiter chirurgi venenum ſpirituoſum per cucurbitulas:

30. Helmontius extinguit ideas, & obliterat per ſubmerſionem in aquas; eodem modo ac gallinis phantaſia & deſiderium incubandi ovis.

31. Tandem concludo hocce caput & hancce doctrinam, fateorq́;, vix explicabile eſſe, quas vires habeat & imperium phantaſia in Spiritus & corpora.

32. Audiamus profundi ingenii ſcriptorem Anglicanum Rogerium Baconem, de ſecretis operibus artis

artis & naturæ: *Considerandum tamen quia peritus medicus , & alter quicunque habet animum excitare; carmina & characteres licet fictos, utiliter , secundum Constantium Medicum , potest adhibere; non quia ipsi characteres aut carmina aliquod operentur ; sed ut devotius & avidius recipiatur medicina & animus patientis excitetur, & confidat liberius , speret & gaudeat, quoniam anima excitata, potest in corpore proprio multa renovare : ita ut de infirmitate in sanitatem convalescat, ex gaudio & confidentia. Anima multum potest super corpus suum, per suas affectiones fortes, ut docet Avicenna in l. de anima & 8. de animalibus , & omnes sapientes concordant. Et ideo fiunt coram infirmis ludi , & res delectabiles afferuntur : imò aliquando appetitui multa conceduntur contraria : quia vincit affectus & desiderium , & anima spes supra morbum.*

CAPUT

CAPUT XXV.

DE MORIBUS, INGENIO, Memoria, Indole, Sapientia, Prudentia, Iudicio, Eruditione.

1. Medicus Temperamentum ſciat & ſanandorum mores. 2. Temperamentum eſt duplex. 3. Cauſa efficiens ingeniorum. 4. Non anima. 5. Nec organorum diſpoſitio. 6. Nobilitatis fundamentum. 7. Conformatio corporis indicina eſt internæ indolis. 8. Socrates corpore deformis. 9. Unde prudentia. 10. Unde eruditio. 11. Scientia noſtra eſt merè idealis. 12. Unde multiſcientia? 13. Illuſtratio per cameram obſcuram. 14. Differentia docti ab indocto. 15. Uterinorum diverſi mores. 16. Timiditas & ſervilis natura. 17. Puerorum epilepſia. 18. Timor caniciei cauſa. 19. Inclinationes etiam ſunt hæreditariæ. 20. Indocti quomodo fiant docti. 21. Unde Græci Sapientes? 22. Ingenia ætatum. 23. Ex morione fit prudens. 24. Quid eloquentia? Reminiſcentia; Memoria? judicium? 25. Memorioſi, faſtuoſi ſunt. 26. Ingeniorum diverſa diſpoſitio in quibus conſiſtat?

1. INtereſt Medico cognitum habere & perſpectum non tempera-

peramentum duntaxat ſanandorum, ſed etiam mores exinde emergentes. Et cognitis exactè moribus, Medicus longè accuratius pervenit in notitiam temperamenti.

2. Temperamentum vel hæreditarium eſt, vel aſcititium ſeu acquiſitum. Hæreditarium eſt, ab hæreditaria Spirituum ex ſemine parentum conſtitutione: aſcititium illud eſt, quod ſucceſſu temporum ſuccedit, & per educationem, victus rationem, vitæ genus, exercitia, &c. acquiritur. Temperamentum inſinuat nobis hominum mores, indolem, ingenium, & vice verſa, mores produnt hominis temperamentum, conſtitutionem, Spirituum diſpoſitiones: mores enim ſequuntur temperamentum; Dygbeus inquit: etiam illam naturæ complexionem, quæ ex moribus & exercitatione oritur, natam eſſe in prole pullulare.

3. Cauſam efficientem, ſubjectum ingenii, indolis, &c. eſſe Spi-

ritus, pauci ſunt, qui contraveniunt.

4. Volunt quidem nonnulli functionum harum ſubjectum eſſe animam, verum cùm anima ab anima non differat accidentibus, nec obnoxia ſit viciſſitudinibus, cùm merus ſit Spiritus, non video animam anima eſſe puriorem, activiorem, ſapientiorem, prudentiorem, judicioſam magis & ingenioſam.

5. Nonnulli qualitates haſce & effectiones, diſpoſitioni corporis organorum tribuunt, verum tales obliti ſunt ſpiritus eſſe fabricatores organorum corporis, hoc vel illo modo organiſatorum, & organa ſine Spirituum lumine eſſe cadavera. Purus enim, & à nativitate ſerenus, luminoſus, lucidus, temperatus, agilis Spiritus, purum, temperatum, formoſum, beneque diſpoſitum format corpus: opaci, impuri contra, minus luminoſi, monſtroſum: in ſubjecto naturâ nobiliori, nobiliores, generoſiores, actuo-
ſiores,

ſiores, puriores & magis ignei ſunt Spiritus.

6. Hinc fundamentum nobilitatis hæreditariæ: Fortes creantur fortibus: in ignobiliori: torpidiores utplurimum, hinc homines ſerviles natura, utplurimum vitioſi, ob vitioſam Spirituum conſtitutionem. Mores ſequuntur temperamentum Spirituum. Bonam indolem, optimum ingenium, laudabiles & modeſtos mores conciliant Spiritus vitales cum animalibus temperie bene convenientes. Germani de Cholericis dicunt, er hat einen hitzigen Kopff / intelligunt Spiritus igneos, fervidos, non animam calidam, quæ Spiritus ſimpliciſſimus, nec calida eſt, nec frigida.

7. Externa corporis & membrorum conformatio, indicina eſt internæ indolis & morum, quia Spiritus formant & conformant corpus & membra. Hinc magnanimus, animoſus, lineamenta, faciem & Spiritus habet Leoninos: aſtuti,

callidi, Spiritus habent, faciem & capillos vulpinos. Meticulosi, Spiritus, & hinc faciem quàm proximè leporinam, ovinam. Crudeles, faciem habent & Spiritus lupinos: fatui bovis & asini Spiritus, faciem & caput.

8. Physiognomus Socratem pronuntiavit vitiosum, ex vitiosa corporis conformatione; *Talis enim essem*, respondit Philosophus, *nisi Philosophiâ me correxissem.*

9. Nemo quidem prudens, nemo judiciosus, nemo artifex, naturâ nemo sapiens nascitur, cùm omne artificium ex idearum impressione: cum spiritibus tamen nobis connascuntur rudimenta seu principia morum, vitiorum, & virtutum interdum paternorum inclinationes ad bonum & malum, ratione dispositionis hæreditariorum Spirituum: ut enim maturè urit, quod vult urtica manere: ita maturè lucescunt ex inclinationibus puerorum ingenia ad bonum & malum statim in infantia,

infantia, non aliunde, nisi ex naturali, connata Spirituum indole. Dygbeus, ut supra dictum, inquit, etiam illam naturæ complexionem, quæ ex moribus & exercitatione oritur, natam esse in prole pullulare.

10. Sapiens tamen, doctus, prudens, judiciosus aliquis debet fieri ex improba idearum multarum in Spiritus impressione, & convenienti coaptatione: omnes enim habitus Spiritibus imprimuntur per ideas, ut sigillum ceræ. Harveus in præfatione de Gener. animalium: *Nulla nobis*, inquit, *cognitio innata est, ex sententia Aristotelis. Nec enim opinio, nec ars, nec loquela, nec ratio à natura & ortu primo nobis insunt, sed omnia hæc in eorum censu habentur, quæ extrinsecus nobis secundum naturam adveniunt.* Cùm autem Spiritus sint tantùm subjectum & instrumenta, quibus innumeræ rerum imprimantur ideæ, ad memoriam & eruditionem non sufficit

tantùm Spirituum puritas, & laudabilis eorum diſpoſitio, ſed unà variarum idearum impreſſio ab infantia & ineunte ætate. Omne quicquid ſenſibus externis deprehendimus, illud Spiritibus noſtris imprimitur, vel leviter, vel tenaciter: quod leviter impreſſum eſt, facilè iterum obliteratur, hinc oblivio, quod tenaciter, illud diutius inhæret: nihil itaque ſcimus, niſi ideas, quas per ſenſus externos Spiritibus noſtris impreſſimus:

11. Hinc omnis noſtra notitia, mera eſt idealis, imperfecta, à poſteriori, etiam mathematica. Nulla certa hominum eſt ſcientia, cùm nihil niſi ideas externas rerum videat, cognoſcat: internas autem rerum formas ratiocinando, unum ex alio colligendo, hariolando aſſequi conatur. Spiritus noſtri ſunt quaſi raſa tabula, cui nihil inſcriptum eſt, iis tamen rerum externarum innumeræ ideæ, ceu ſigilla per organa ſenſuum externorum imprimi

mi possunt : Idea visibilis Spiritui oculorum communicatur, & una quasi in instanti universo corporis Spiritui imprimitur, ibique tanquam in penuario reconditur. *Nemo*, inquit Aristoteles, *naturâ sapiens*: nil scimus nisi ideas, quas per sensus externos Spiritibus nostris impressimus:

12. Hinc multiscientia est ex idearum multitudine. Rerum ideæ sunt quasi irides aut iridum colores, sicut enim in nubem fœcundam, aut aërem diversi iridum colores naturaliter & artificialiter possunt projici; ita in unam animam & Spiritus, infinitæ rerum ideæ, & hæ ideæ sunt nostra scientia, sicut ideæ iridum è nubibus evanescunt, iterumque apparent, ita impressis rerum ideis obliviscimur, iterumque in memoriam easdem revocamus.

13. Sicut in camera obscura per vitrum, hominum extra ambulantium & rerum externarum ideæ vivis coloribus pinguntur: eodem

etiam modo & per oculos, rerum quarumcunque ideæ Spiritibus imprimuntur. Sicut speculo, aquæ, rerum imagines; ita Spiritibus lucidis & humidis externa objecta per quinque sensus. Non tantùm autem Spiritibus, sed unà etiam animæ rationali. Spiritibus enim amissis, non unà omnes impressæ amittuntur & obliterantur imagines; hinc evincimur, præter Spiritus, successivè evanescentes animam etiam corpora gubernare humana.

14. Doctus itaque ab indocto non differt nisi idearum multitudine: ex informatione itaque & educatione, quæ fit à parentibus, nutricibus, Præceptoribus, morum informatoribus, aliquis evadit doctus, multiscius, moratus, liberalis, servilis, prout ideæ diversæ Spiritibus imprimuntur.

15. Hinc hominum, hinc fratrum uterinorum diversa natura, diversi mores. Esau ad venationes & ferarum trucidationes educaba-

tur,

tur, hinc ferocior: Jacob autem ad opera domestica, hinc civilior, humanior.

16. Justo timidiores fiunt, qui in pueritia semper timuerunt Orbilii ferulam, timorosæ enim ideæ Spiritibus fortiter sunt impressæ: hinc tales etiam utplurimum fiunt serviles, qui serviliter educantur.

A ferula enim Spiritus percussi, trepidant, fugam meditantur, hinc timorosi semper, & fugitivi. Liberales fiunt, qui liberaliter suos, Batavorum more, educant.

17. Hinc etiam pueri epilepsiâ (quæ est motus trepidationis seu convulsivus) sunt obnoxii, ob ideas timorosas, terribiles, tenerrimis Spiritibus impressas. Epilepsia timorosa in prolem, interdum in nepotem propagabilis est, & derivabilis, hinc hæreditaria dicta.

18. Timor in infantibus non tantùm causa est epilepsiæ, sed in adultis etiam causa caniciei. Testantur enim historiæ captivos interdum

unica nocte ex timore mortis & pavore canuisse. Curæ, mœrores, ægritudines animi non sunt, nisi continuus futurorum timor, ex quo successiva canicies. Si itaque morbosæ Spirituum ideæ hæreditariò in sobolem transplantantur, quid ni etiam alia bonæ mentis & indolis virtuosæ, morum & inclinationis semina & ideæ?

18. E.G. inclinationes ad mathesin, ad artes mechanicas, ad poësin: Poëtæ enim non fiunt, sed nascuntur. Ingenii quidem dotes, ut antea dictum, nonnullæ nobiscum nascuntur, vel cum Spirituum puritate, vel hæreditaria quadam impressione: virtuosi enim utplurimum nascuntur virtuosis; habitus tamen per diligentem idearum impressionem & inculcationem excoluntur, perficiuntur, nihil enim scimus,

20. Nisi cujus idea per sensus Spiritus est impressa, & hoc modo indocti & stupidi evadunt docti, ut

docent

docent exempla Xenocratis, Demosthenis, & aliorum quotidiana. Nemo sine informatore vel vivo vel muto sapiens fit. Barbari idcirco sunt bardi, stupidi, & rudes, quia non instructi sunt ideis, quæ hominem faciunt prudentem & sapientem.

21. Græci olim sapientes fuerunt, non ob clima & solum natale tantùm, quod purissimo etiam nunc gaudet aëre, hodièque barbari incolunt, sed ob culturam, institutionem & educationem.

22. Senes sapientiores sunt juvenibus, quia pluribus variarum rerum ideis sunt instructi; magis judiciosi sunt, quia sicciores habent Spiritus, in quibus ideas convenites convenienter coaptant, quæ in juvenum humiditatibus hinc inde fluctuant & obruuntur. Infantes & pueri ob temperamentum humidum memorosi sunt: In pueritia enim & juventute Spiritibus humidioribus facilius & profundius ideæ

novæ imprimuntur, hinc viros & ſenes memoria ſuperant: ideas enim, quas in pueritia vidimus, tenacius retinemus, quia profundius impreſſæ: Senes contra memoria deficiunt, hinc nullum certius eſt ſenectutis ingruentis indicium, quàm quando memoria labaſcit; & Senecæ teſtimonio, *primum quod ætas invadit, eſt memoria.*

23. Ex morione interdum fit prudens, ſeu ratione pollens, quatenus morbo calido Spiritus impuri, craſſi purificantur, ventilantur, illuminantur, & humidi exſiccantur.

24. Humana ſapientia, ut & eloquentia ſecundum Platonem eſt Reminiſcentia. Reminiſcentia autem eſt recollectio, reaſſumtio, revocatio & revolutio idearum Spiritibus impreſſarum. Memoria nihil aliud eſt, quàm promuscondus idearum olim in penu Spirituum reconditarum; hinc oblivio eſt ex obliteratione idearum. Perditur

ſæpe

ſæpe memoria & amittitur per graves morbos, in quibus ideæ olim Spiritibus impreſſæ, unà cum Spiritibus & eorum humido & pingui amittuntur. Juvatur memoria per imagines ſeu ideas; hinc Mnemonica. Memoria, ut dictum, conſiſtit in humido; judicium, prudentia & ſapientia in Spirituum ſiccitate, in qua firmius coaptantur ideæ convenientes: anima enim ſicca prudentiſſima eſt: In vino conſilium, quia 1. vinum moderatè ſumtum exſiccat, Spiritus expandit, exhilarat. 2. quia novos ſuppeditat, puros & laudabiles.

Error rationis eſt putatio, & error phantaſiæ, ex idearum quidem coaptatione rerum ſibi in praxi non correſpondentium. Judicium ex rerum ideis ſibi in praxi undiquaque convenientibus.

25. Memorioſi elatiori ſunt animo, magis faſtuoſi, quàm viri judicioſi; tales præſumtuoſi ſunt Grammatici; inflati, ventoſi, faſtuoſi

Oratores, quia Spiritus habent humidiores, quibus inflantur, humida enim Spirituum constitutio hominem facit inflatum, superbia tumidum, præsumptuosum, φίλαυτον.

26. Morum itaque & ingeniorum diversitas est à diversa Spirituũ dispositione, quæ acquiritur & consistit, 1. in semine, & est hæreditaria 2. in sanguine, & nutrimento, quo infans in utero sustentatur. 3. lacte, quo infans lactatur: infantes alieno lacte nutriti, utplurimum degenerant, & ad naturam nutricum naturalisantur; ex lacte & Spiritibus nutricum assumunt naturas nutricum & mores: Lacte humano cicurantur ferocissima animalia, ob Spiritus temperatos, quos unà cum lacte sugunt; ut contra homines ferino lacte educati ferini fiunt & feroces, ut Romuli testatur exemplum & Remi. Agnus aliàs balans lacte caprino nutritus hirquit. 4. alimentorum ratione & con-

ditione

ditione quibus utitur. 5. in educationis ratione; alii liberaliter, alii serviliter educantur. 6. informatione seu doctrina; didicisse fideliter artes Emollit mores. Quò quis doctior, eo humanior. 7 à diversa constitutione soli naturalis: Galli moribus differunt ab Hispanis, &c. Naturalis itaque indoles est à naturali Spirituum constitutione, serenitate, lumine, claritate, puritate: eruditio, memoria, judicium ex infinitis ideis iisdem Spiritibus successivè impressis, sibi convenientibus, distinctè coaptatis.

CAPUT XXVI.

DE COELI ET ASTRORUM Influentiis, & Spiritu universi.

1. Mundus est animatus. 2. Cœlum agit. 3. Aër cum cœlo idem est. 4. Dives est Spiritibus astralibus. 5. Astra agunt. 6. Sensibiles Luminarium influentiæ. 7. Astra influunt. 8. Quia radiant. 9. Promethco & primi seculi hominibus notæ fuerunt influentiæ. 10. Aër inebriatus est Spiritibus astrorum. 11. Harmonia astrorum & Spiri-

Spirituum. 12. Aſtrologi malunt tempus nativitatis, quàm conceptionis. 13. Talismata quando fundenda. 14. Compaſſio aëris & Spirituum. 15. Unde pluviarum fœcunditas. 16. Influentias ſenſibus deprehendimus. 17. Mechanicè per Alkaheſt. 18. Spiritus univerſi quid? 19. Ex eo ſit medicina univerſalis.

1. MUndus non tantùm ſpirituoſus eſt in ſe, ſed Spiritibus corporum naturalium plenus & quaſi ebrius, hinc animatus olim dicebatur. Mundus viſibilis gubernatur ab inviſibili.

2. Cœlum habere ſuas actiones patet, 1. quia eſt corpus naturale. 2. quia corpus ſubtiliſſimum, ſpirituoſum, idcirco actuoſum. 3. quia radiis, effluviis, Spiritibus aſtrorum eſt ditiſſimum. Hos theſauros & opulentiſſimum hoc feudum ſibi ſoli non reſervat, ſed dotes haſce ſuas à glorioſiſſimo Conditore ſibi conceſſas, collatas, largiter undiquaque quousque ſeſe immenſum hocce extendit expanſum, radiat, ſpargit, communicat, diſtribuit.

3. Aër cum cœlo idem est & continuus, nullus enim murus est, cœlum ab aëre discernens: ita Nuysement, tr. de Sale: *Quanquam enim terra & cœlum separata videntur ratione situationis, nempe superioritatis; non tamen ab invicem diversa sunt, cùm inter ea perpetua sit connexio & cognatio.* Cùm itaque cœlum & aër sint unum & idem, easdem habebunt operationes, virtutes, activitates, passiones: ita Cosmopolita; *Est in aëre occultus vitæ cibus, quem nos rorem de nocte, de die aquam rarefactam nominamus, cujus Spiritus invisibilis congelatus melior est, quàm universa terra.*

4. Pluvia dives est igne & Spiritibus astralibus ebria, cum quibus terra imprægnatur, & omnia vegetabilia vegetantur & crescunt, sola enim aquâ astrorum influentiis animata, imprægnata nutriuntur & crescunt.

5. Astra, ornatissima cœli corpora, iisdem, imò longè eminentioribus

tioribus gaudent energiis & virtutibus. Ignes enim ſunt immortales, concentrati, compacti, incombuſtibiles, inexhauſti luminum & virtutum vivificantium theſauri & fontes. Corporum horum cœleſtium lampades & perpetui ignes ſibi ſoli non prælucent, nec ut inertia ſint mundi pondera, aut cadavera, numero duntaxat at & mole ſua naturæ moleſta, nec pulcritudine ſua univerſum hoc duntaxat exornantia, ſed ut ignium inſtar, calorem activum, radios & Spiritus de ſe ſpargant, quibus ad normam reliquorum corporum naturalium agant, ad quos fines ſapientiſſimus rerum Conditor ea condidit, & in ſpicioſiſſimum hoc univerſi theatrum collocavit.

6. Virtutes autem corporum cœleſtium & operationes maximè conſpicuæ ſunt & ſenſibiles in duobus illis mundi Luminaribus magnis ☉e & ☽a. Tolle Solem ex mundo, auferes non modo præſtantiſſimum

mum

mum cœlo ornamentum, ſed mundi oculum & lampadem, imò animam extingues, in priſtinum planè chaos & tenebras rediges univerſam rerum naturam, remoto Sole morietur omnis homo, cadaver evadet omnis mundus. Si Sol & homo hominem generat, utique ſol & animal animal; Sol & vegetabile, vegetabile generabit. Nulla generatio fieri poteſt ſine Sole, nulla multiplicatio, nulla vita, nullus motus, nulla actio, cùm Sol ſit ignis concentratus, vivificus, vivificans, luminis origo, mundi oculus, fons ipſius, denique vitæ, ſua enim vivifica & ſpirituali influentia ſuſcitat, & excludit Spiritus vegetabilium, fovet animalium, & eosdem conſervat.

Non autem video, qua fronte reliquis aſtris ſuas denegare poterimus virtutes & operationes, ſoli Soli, nolentes volentes, indulgentes influentias: forſan quòd benigniſſima ſit, familiaris nobis, maximè.

ximè activa, ſenſibilis, oculos noſtros & ſenſus incurrens.

7. Aſtra ejusdem cum Luminaribus ſunt materiæ, ejuſdem naturæ igneæ, ejusdem virtutis, operationis & definitæ ſuæ & determinatæ activitatis?

8. Aſtris ineſt lux, eodem planè modo de ſe ſpargunt lumen, radios, calorem, qui concentrati meri ſunt ignes comburentes, ut docet optica. Luna radios de ſe ſpargit, urentes, percutientes, ſecundum Pſalmiſtam. Poſito Planetas proprium non habere lumen, influunt tamen. Luna proprium non habet lumen, influit tamen manifeſtè, ejusque influxus diverſiſſimus eſt ab influxu Solis: influunt more gemmarum, aſtrorum terreſtrium, amuletarum, plantarum radiantium non luce manifeſta, radio tamen inviſibili, magnetico, ſpecifico. Nec obſtat maxima Planetarum & ſtellarum fixarum à nobis elongatio. Eorum activitatis Sphæra huc

uſq;

usque sese extendat, necesse est, cùm radiatio e.g. ♃is & ♀ris tam sensibiles sint, ut umbram nobis in terra pariant. Ipsi autem radii, sunt corporum substantiæ & influentiæ, emanantes, effluentes ex astris, ut ignis ex Sole, cum radiis Solaribus; ignis ex igne; virtus & efficacia ex gemmis, ex magnete, &c.

9. Hic est ille ignis cœlestis, quem Prometheus, Japeti filius, consilio Minervæ è cœlis clam sustulit; sine igne astrali immobiles esse homines & exanimes, cæteraque sublunaria, emblemate nostro innuere voluimus. Ex quo patet Spirituum doctrinam, quam nos ex natura eruimus, primis hominibus notam fuisse, hieroglyphicè traditam, fabulis involutam, temporis successu neglectam, suppressam, nec meritò hactenus excultam.

Astra nil nisi Spiritus de se radiant, spirant, spargunt, luce suâ, lumine & radiis, quos ultro in se recipiunt

recipiunt corpora naturalia ſpirituoſa, ob ſimilitudinem, identitatem & raptum, qui eſt inter ſimilia. Quòd autem aſtrorum influentiæ ingrediantur conſtitutionem Spirituum, ex ſuperioribus patuit, ubi monſtravimus Spiritus vitales ſeparari & generari, non ex alimentorum duntaxat Spiritibus, ſed etiam ex aëre, ut dilucidè docet Sennertus, aliique Inſtitutiſtæ tit. de Spiritibus: Non autem aër ſimpliciter ingreditur conſtitutionem vitaliũ, utique unà etiam Spiritus aſtrales aërem perpetua radiatione imprægnantes, vivificantes.

10. Aër ſemper inebriatus eſt, ebrioſus & imprægnatus aſtrorum Spiritibus, lumine, radiis, influentiis, igne & virtutibus cœleſtibus nunquam vacuus eſt, & expers, quas unà cum aëre haurimus, & ſine quibus nec vivere nec ſubſiſtere, nec reſpirare poſſemus. Ignis & aër unum conſtituunt corpus, aërem nimirum calidum, non ſecus ac

aqua & ignis , unam constituunt aquam calidam, quam haurire possumus; ignis & ferrum , unum ferrum candens; aqua & terra, lutum; aqua & farina massam, &c. ita radii Spiritus astrales & aër, seu Spiritus cum aëre unum constituunt aëris corpus, quod attrahimus, inspiramus, de quo vivimus, ex quo corporis nostri Spiritus generantur & regenerantur.

11. Hinc illa est astrorum & Spirituum nostrorum admirabilis harmonia, sensibilis consensus & sympathia, communis motus circularis, non aliunde, nisi propter indentitatem Spirituum astralium & nostratium, qui secundum Philosophum analogi sunt elemento astrorum, & idcirco mutuum habent ingressum, sympathiam , magnetismum , raptum.

12. Et hæc est vera ratio, quòd Astrologi pro erigendo themate genethliaco seligere malint nativitatis tempus, quam conceptus, cùm sensi-

ſenſibiliter, per ſenſibilem inſpirationem & reſpirationem combibat, attrahat, inſpiret primitus tenerrimum recens nati infantuli corpuſculum, Spiritus cum aëre aſtrales, qui imbuunt, animant & diſponunt illud pro ſua naturâ.

Non incongruè primam illam aſtralium influentiarum imbuitionem, infuſionem in recens emergentis infantuli natum corpuſculum perſpirabile, explicare poſſum vulgari illo verſiculo: *Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem Teſta diu.* Quibus Spiritibus in prima inſpiratione & reſpiratione imbutum eſt, & imprægnatum tenerrimum infantuli corpuſculum, ii inhærent pertinaciter, conſtituunt & diſponunt corpus, ſuique ſimiles alios ejusdem ſpeciei Spiritus aſtrales ſucceſſivè pro ſui conſervatione attrahunt, alliciunt. Iſta prima Spirituum aſtralium infuſio aſſimilatur imbibitioni liquoris cujusdam rubri aut aliàs colorati in ſpongiam

aut lanam candidam ; liquor enim coloratus licet iterum exprimatur, tincturam tamen suam in substantiam spongiæ deponit, relinquit: ita, licet spiritus corporis nostri pedetentim amittamus sensibiliter & insensibiliter, fixi tamen nonnulli manent, aliosque similes ejusdem conditionis & naturæ alliciunt, propter identitatem, similitudinem, sympathiam natalium seu nativorum. Ita corpusculum infantis primitus radiis & Spiritibus ♃libus ebrium, imposterum ♃les semper Spiritus, non secus ac acus magnete semel affricta, ferrum semper appetit.

13. Et hoc, meo quidem judicio, fundamentum est, & multis occulta, Talismatum fabricandorum, ratio, quæ fundi debent sub certâ quadam constellatione, Planeta nimirum in carpento seu throno suo, ut loquuntur Astrologi, hoc est, in essentialibus suis dignitatibus constituto. In iterata enim per vio-

lentum ignem *fuſione* metallum Spiritus quosdam non adeo fixos amittit, in quorum locum ſuccedunt & ſubſtituuntur alii, Planetæ nimirum cujusdam maximè activi, tunc temporis fortiſſimi.

14. Porro Spiritus vitales ejuſdem eſſe cum aëre vitali conſtitutionis, naturæ & materiæ, evincit mutua aëris & Spirituum vitalium ſympathia & conſenſus: Si enim aër impetuoſus eſt, nubiloſus, nebuloſus & turbulentus, utique per ſympatheiſmum easdem patiuntur corporis noſtri Spiritus tempeſtates, procellas, viciſſitudines, anomalias, excentricitates: eſt enim analogia, convenientia, ſimilitudo, harmonia, compaſſio, conſenſus aëris & Spirituum adeo ſenſibilis, ut ſiquid incommodi patiatur aër nebuloſa; impetuoſa, conſtitutione, unà afficiatur, illudque conſentiat corpus noſtrum ſpirituoſum, cùm Spiritus noſtri ejusdem ſint cum aëre materiæ & conſtitutionis. Hinc

homines

homines ſereno cœlo & aëre, ſereniori, & hilariori, contra verò pluvioſa & nebuloſa conſtitutione triſtiori, minus alacri & erecto eſſe animo omnes ultro fatemur & experimur. Si ex aëre, ut notum eſt, haurimus morborum epidemiorum, febrium, & morborum contagioſorum ſemina, cauſas & miaſmata, imò ipſam peſtilentiam; utique & ex benigna aſtralium impregnatione, influentiâ, illuſtratione, irradiatione, inundatione vivificam & vitalem flammam, ſanitatem, vitam. Ita nobiliſſimus Nuyſement p. 199. *Evidendìtiſſimum autem eſt, vitam eſſe rem cœleſtem & divinam, quod igitur eam conſervare poteſt, ejusdem naturæ eſſe debet, quia omnes res ex eo ſuſtentantur, inde originem ſumunt: dicam verò adhuc amplius, hunc Conſervatorem ipſam vitam eſſe.* Ita Coſmopolita. *Eſt in aere occultus vitæ cibus.* Hunc occultum vitæ cibum aſtrorum ignes in aërem hunc noſtrum

vibrant. *Spiritus hic invisibilis melior est*, inquit autor, *quàm universa terra*. astralis est, & cœlestis, in aërem hunc nostrum desuper effusus.

15. Spiritus hic invisibilis sensibilis est in pluvia fœcunda, fœcundans, excludens sepulta, & in terra semimortua semina eaque ad vegetationem vivificans, Spiritibusque nostris vitam suppeditans & motum. Præfatione in ♀r inquit idem autor: *Naturæ ministri sunt Spiritus vitales aerem constringentes : difficile est*, inquit : *credere Spiritus habere tantam potentiam in ventre venti*.

In demonstrandis his non ero operosior, cùm astra in hæc inferiora influere, bardi etiam, blenni & plauti intelligant, comprehendant, sentiant, sensibus externis, tactu, visu.

16. Sentiunt & tangunt calorem Solis, vident omnia fotu Solis crescere & vegetari; vident & sentiunt radios Solis influentes merum esse

ignem,

ignem, cutem, ligna & combustibilia comburentem. Vident astra radiare radiis suis, umbram facere, stellas moveri motu circulari, vident per demonstrationes oculares & autopsiam sanguinem ab interno principio moveri itidem circulariter; Sciunt naturalia ea, quæ easdem planè habent affectiones eadem esse, v. g. homo easdem habet affectiones, cum homine, ignis cum igne; ergo iidem sunt; aqua cum aqua, aër cum aëre, terra cum terra, vinum cum vino, ☿ius ☿io & auro, ergo eadem sunt: corporis ergo nostri Spiritus iidem erunt cum astris, cùm astra & Spiritus easdem habeant affectiones. v. g. moveri, circulari, radiare, illuminare, influere, calefacere, vivificare: operationes illæ identicæ manifestè cuivis etiam stupido insinuant, Spiritus esse ex astris.

17. Helmontius sub tit. formarum ortus. p. 148. §. 89. inquit: *Per Alkahest sciri potest, quantum al-*

terutrius luminaris partem vegetabile (etiam incognitum, contusum ac situ obductum possideat. Si itaque vegetabilia de luminaribus participant, quis dubitaret de homine, animalium nobilissimo, microcosmo, in quo evidentiora luminarium apparent indicia & macrocosmi charactares.

Quomodo autem diversi astrorum positus diversimode disponant corpora, hujus loci non est explicare. Sufficiat monstrasse Spiritus corporum nostratium esse astrales: Philosophus suo modo vocat elementa astrorum analogos: Lunæ influxum intelligunt rustici; Mercurii in concitandis ventis, Martis in ciendis tonitruum ignibus observant Physici & astrologi; Solis influxus, omnium manifestissimus est omnibus.

18. Coronidis loco mentionem quoque meritò hîc injicere debemus de Spiritu universi. Dubitant quidem plurimi num detur Spiritus

quis-

quispiam universi? Cùm mundus universus sit corporum mundanorum congeries, quodlibet autem corpus suo proprio dotatum sit Spiritu. Notorium tamen est, vocabulum. Spiritus universi apud modernos usitatissimum esse: Sumitur autem duplici modo; 1. pro radiis, influentiis & Spiritibus cœli, Solis & astrorum. Astra, cumprimis Sol radios suos de se spargunt sensibiles. Isti corporum cœlestium radii inter se commiscentur, confunduntur, iisdemque cœlum, cæteroquin spirituosum, & aër repletur, imprægnatur, ditatur. Hic Spiritus corporum cœlestium confusus, Universi, hoc est, omnium corporum mundanorum dicitur Spiritus.

Secundò, Spiritus universi à nonnullis dicitur Spiritus salis terræ volatilis. Terra suum in se habet sal Spirituosum; illud sal volatile copiosè exhalat & extrahitur è terra mensibus comprimis vernalibus

Martio, Aprili, Majo, ☉ e in ♈ ete, ♉ ro & ♊ is existente, ad nos redeunte, terram radiis suis calefaciente: illud ipsum sal ex rore majali colligitur, ex eoque fit & conficitur Medicina universalis Dienheimii:

19. Ex hoc sale Spiritus præparatur, quo Borellus aurum in liquorem solvit. Et hoc sal, est sal illud vegetabile, sal terræ, sal nitri terræ, sal naturæ, sal mundi, de quo Sendivagius Cosmopolita in 12. tractatibus.

CAPUT XXVII.

DE MAGNETISMO ET SYMPATHEISMO.

1. Quid sympatheismus? 2. Differentiæ magnetismi. 3 Totus mundus est sympatheticus. 4. Omnis ignis rapitur ad Solem. 5. Terra movetur. 6. Aquæ moventur. 7. Mare repetunt. 8. Consensus inferiorum & superiorum. 9. Amicitia inter nostrum calorem & cœlestem. 10. Inter aërem & Spiritus. 11. Homo sereno cœlo sereniori est animo. 12. Imbecillia membra præsagiunt tempestates. 13. Sym-

Sympatheiſmus verno tempore ſenſibilis. 14. Febres vernales epidemiæ ex conſenſu aëris. 15. Aër ſenſatus eſt. 16. Cauſa continuarum febrium. 17. Unde febres hyemales. 18. Sympathia elementorum. 19. Tractus aquarum. 20. Raptus ignium. 21. Propenſio aëris ad aërem. 22. Sympathia hominum. 24 Unde ſomnus? 25. Somnus meridianus cur moleſtus? 26. Curationes magneticæ ſitæ ſunt in cõſenſu Spirituum. 27. Sympathia viſcerum.

1. MAgnetiſmus, alias Sympatheiſmus, antipatheiſmus quid ſit, duobus poſſumus exprimere verbis, quod ſit Conſenſus Spirituum. Per ſenſum intelligimus formaliter Con-ſenſum, hoc eſt, eundem ſenſum, eandem ſenſationem, ſive ille ſenſus idem, gratus ſit & amicabilis, & tunc dicitur ſympathia, philautia, amor, deſiderium amoroſum, tractio, tractus, raptus ſimilium: ſive ingratus, qui diſſenſus dicitur, & antipathia, odium, abominatio, compaſſio, fuga diſſimilium. Et iſti ſenſus interdum exquiſiti ſatis ſunt, interdum minus.

2. Est autem consensus & magnetismus, non inferiorum tantùm cum superioribus, sed etiam mutuus superiorum, ut inferiorum inter se sympatheismus & antipatheismus.

3. Universa Natura magnetica est, ea enim raptus similium est & fuga dissimilium. Totus mundus constat & positus est in magnetismo; omnes sublunarium vicissitudines fiunt per magnetismum; vita conservatur magnetismo, interitus omnium rerum fiunt per magnetismum, quem hujus libri epilogus loquitur, & concludit.

4. Mutuus consensus, raptus & quasi circulatio est ignis Solaris, quem Sol radiat, spirat & spargit, cum ipso Sole. Solis calor & ignis ex corpore Solis qui radiat, redit omnis iterum ad Solem, tanquam ad mare igneum, è quo exiit; ex eodem iterum spirat sine intermissione ad corpora naturalia, iterum exspirat, iterumque ad Solem redit, & ita

& ita sine fine circulatur: hinc non miror, elapsis tot mille annis de corpore Solis igneo nil hactenus esse consumtum, nec corpus Solare imminutum, nec viribus debilitatum, cum omnis ignis ex Sole qui exspirat, per circulationem, propter identitatem & raptum similium ad Solem, ceu igneum mare, omnis ignis fontem iterum redeat. Eodem modo & illud ipsum ex reliquis astris quod radiat, ob tractum similium iterum allicitur, & redit ad suum astrum, ex quo antea fluxit, iterumque sine intermissione circulatur.

Sicut aqua exhalat ex mari & terra, iterumque ad terram per pluvias redit: ita astrorum ignes, fontes suos iterum ob identitatem appetunt & repetunt.

5. Terra ad astrorum imitationem, ut Copernic. demonstrat, sicut astrum, inter astra collocatum, circulatur, movetur. In cœlo libero, à Sole illustrata lucet, lumen de se

ſpargit, & radios eodem modo ac Luna, Saturnus & reliqua ſydera.

6. Ad motum cœleſtium circularem etiam aquæ in terra moventur; motus ille fit ita, quatenus terra in ſinum & viſcera ſua per cuniculos tanquam venas, meatus & canales aquam maris in ſe quaſi abſorbet, iterumque hinc inde per fontes eructat, flumina efficit, quæ mare iterum naturali deſiderio appetunt, repetunt:

7. Naturalis hæc eſt circulatio aquarum ad normam & imitationem aſtrorum, ob harmoniam ſuperiorum & inferiorum, quæ catena aurea veteribus dicebatur, de qua ſapientiſſimè Hermes in tabula Smaragdina; *Verum, ſine mendacio, certum & veriſſimum: quod eſt ſuperius, eſt ſicut id quod eſt inferius, & quod eſt inferius, eſt ſicut id, quod eſt ſuperius.*

8. Conſenſus ſuperiorum & inferiorum cognoſcitur, 1. ex motu. Aſtra moventur; per magnetiſmum

moventur

moventur & inferiora, moveantur itaque necesse est corporis nostri Spiritus, propter nimirum similitudinem & identitatem. Corporis nostri Spiritus iidem sunt cum astrorum, quia ex Spiritibus & radiis eorum cum aëre à nobis sunt attracti, & ita nostrates facti sunt & domestici. 2. ex vita: Denegato homini aëre, denegatur ei vita, in loco enim concluso homo moritur, & communiter suffocari dicitur. Aër hic noster maximè vitalis est, propter radiorum astralium reciprocationem & duplicationem: in editissimis montibus radii simpliciores sunt, idcirco minus vitales. Illam ipsam vitam ex aëre quam haurimus alii curiosi demonstrant hujus seculi Philosophi manifestissimè. 3. ex calore. Si enim astrorum calor nobis denegaretur, unà etiam vita privaremur; hinc loca arctica & antarctica, sub ipsis polis dicuntur inhabitabilia, ob diuturnam Solis absentiam & atrocis-

ſimum frigus, Spirituum flammulam extinguens.

9. Calor itaque, cœleſtis eſt naturæ, Spiritibus noſtris propter ſimilitudinem & identitatem amicabilis, deſiderabilis, gratiſſimus, propter conſenſum per raptum & tractum applicabilis, conſervat enim, alit, reſtituit hoſce noſtros magneticè, ut ferrum magnetem, ſympatheticè. Et hic magnetiſmus eſt illa aurea Homeri & antiquorum decantata catena, cœlum conjūgens cum terra, ſuperiora cum inferioribus: hinc aurea etiam illa antiquiſſimorum Philoſophorum dicteria. *Natura naturâ lætatur: Natura naturam continet: Natura naturam ſuperat: Natura propinquat naturæ: Natura aſſimilatur naturæ: Natura conjungitur naturæ: Natura ſubmergitur in naturâ: Natura non emendatur, niſi ſua natura, &c.*

10. Notabilis & manifeſta eſt compaſſio, eadem ſenſatio, inter corporis noſtri, & inter aereo-

aſtrales

astrales Spiritus. Athmosphæra enim, si expansa est, seipso solito major, serena est, &, sicut vernali & æstivo tempore esse solet, purissima: tunc enim propter rectos, in sese reciprocantes & duplicatos radios, & ignis Solaris multiplicationem capacissima est & extensissima, hinc etiam subtilissima, serenissima, Spiritibus astralibus beatissima, ditissima, lætissima. Ad exemplum, imitationem & compassionem, seu per consensum aëris, qui merus est Spiritus, imò ipsum cœlum est aër, corporis nostri Spiritus sentiunt, consentiunt, constituuntur. Expanso enim aëre, expansi sunt, dilatati, longè subtiliores, rariores, puriores Spiritus, hinc vividiores, liberiores, vegetiores, hilariores. Ratio hujus est in identitate, mutuo sensu & consensu Spirituum homogeneorum: Corporis nostri Spiritus iidem sunt cum Spiritibus aëreo-astralibus, quia ejusdem sunt materiæ; aëreæ & astrales influentiæ seu

Spiritus

Spiritus nobis facti sunt domestici, nil ferme aut parum mutati. Prout itaque sese aër habet, constituitur, disponitur, & afficitur, eodem planè modo & unà corporis nostri Spiritus, quia homogenei, quia aër & Spiritus nostri unum constituunt corpus, hinc unius & ejusdem corporis eadem affectio est, & constitutio, eadem accidentia: non secus ac ignis in ferro candente eadem est ac reliqua ignis ferrum ambientis constitutio; eodem modo & eadem aëris cum corpore nostro est constitutio, cum constitutione universi aëris, corpora nostra immediatè ambientis & ingredientis.

11. Hæc ipsissima ratio est, cur sereno, expanso & subtili aëre, homo sereniore est animo, hoc est, hilariori, præsentiori, promtiori; Contra autem tempestatibus, ventorum procellis, imbribus, nebulis, nubibus agitato & inquietato aëre, unà etiam afficitur & turbatur corporis nostri Spiritus aëreo-astralis, hinc

hinc minus promti animo, minus agiles ſumus minusque hilares. Hic inquam, ignotus eſt ille, & hactenus occultus magnetiſmus; qui nihil aliud, niſi ille idem ſenſus, conſenſus, eadem affectio, actio, paſſio, conſtitutio Spirituum, ejusdem qui ſunt naturæ communis.

12. Ob eandem cauſam & conſenſum & illi, qui inæquali laborant membrorum robore, imminentes præſagiunt aëris procellas, tempeſtates, non ſecus ac in baroſcopio quodam.

13. Aliud in medium producam magnetiſmi microcoſmi cum macrocoſmo documentum. Verno tempore univerſa natura dicitur & videtur eſſe in fermentatione, terra enim intumeſcit, ab interno principio incaleſcit, ita ut glaciem licet ſatis denſam liquefaciat, halitus effumant copioſi, aërem replentes, maris aqua turbatur, aliaque evidentiſſima univerſalis fermentationis apparent indicia. Macrocoſmus,

cùm

cùm poſitus ſit in fermentatione, microcoſmi Spiritus, ejuſdem cum Spiritu univerſi ſubſtantiæ & naturæ unà fermenteſcunt, quæ fermentatio in hominum corporibus per morbos, præcipuè in febribus conſpicua eſt, & maximè evidens; has febres communes, alioſque morbos ex communi & univerſali verni temporis fermentatione ortos longo ordine & catalogo recenſet Hippocratis Aphoriſtes.

14. Febris epidemia morbus eſt univerſalis & communis, ex communi cauſâ, cum aëre omnibus communi, communicata corporibus. Eſt autem morbus Sympatheticus ex ſympathiâ aut communi ſenſu & conſtitutione univerſi ortus. Aër, cùm Spiritus ſit, ſentit, qui prout afficitur, conſtituitur, & prout valet, eodem etiam modo & Homo, verno cumprimis tempore. Vere, terra ob radiorum Solarium fermentationem denuo fermentatur, & quidem non terra

ſolùm

solùm, sed quævis, quæ terræ ortum suum debent, qualis est Homo, fermentationem, per communem sensum & consensum patiuntur. Spiritus ex terra in fermentatione in aërem exhalantes, & ibi frigus & calorem passi, retinent fermentationis indolem, ideam & facultatem: non secus ac feces cerevisiæ recentis mores, ideam, & vires aliam fermentandi cerevisiam. Hosce Spiritus terrestres, inquietos, alienos, peregrinos, effrenes, fermentantes, frigus & calorem cum aëre, commune passos, imbibit, & haurit homo, quibus haustis ad fermentationem, ad frigus & calorem concitantur humani Spiritus, non secus ac per venenum taratantulæ mobilis, Spiritus hominis ad saltandum impellitur. Hinc in ejusmodi febribus epidemiis plures decumbunt, & quidem ii tantùm, qui febriles, hoc est, facilè afficibiles, fermentabiles, ad fermentandum pronos habent Spiritus.

15. Febres ejusmodi frigus habent & calorem, ex communi , ut dictum est , consensu aëris sensati & Spirituum terrestrium : Spiritus enim terrestres absente Sole cùm sensati sint, frigus, non secus ac aër, omniaque naturalia sentiunt , hinc sese ad modum omnium sentientium trepidatione contrahunt: eodem modo & corpora ingressi, assueti sunt ejusmodi contractionem, sensum horroris , eundemque in corpore humano contractionis motum instituere , repetere, exexcere. Redeunte autem calore Solis, & ipsi Spiritus in aëre, & ipse aër iterum incalescunt, extenduntur : hinc in corpore assueti huic incalescentiæ, alternatim incalescunt , omnia ob eam causam , quia prout dispositi sunt Spiritus terrestres in terra & aëre , eandem retinent , ingressi corpora dispositionem & naturam, e.g. sese contrahendi, trepidandi, expandendi , incalescendi, defervendi.

16.Con-

16. Continuæ itaque febres in vere oriuntur, aëre verno existente maxima ex parte noctu diuque absque notabili vicissitudine & alternatione calido: hinc aër & Spiritus in aëre terrestres nocte tepida non assuefiunt notabili contractioni, trepidationi & vibrationi; sed semper calent: Sole autem in meridiè æstuante, incalescunt iterum aër & Spiritus: hinc ille continuus calor febrium continuarum cum exacerbatione. Hyeme febres non æque frequentes sunt ac verno tempore, hyeme enim terra gelu est incrustata, hinc minus exspirabilis est, & spirituosa.

17. Febres tamen interdum, sicut anno 1667. in Februario grassari occipiunt, ob austrinam aëris constitutionem: auster enim Spiritus fermentescentes nobis aliunde etiam ex locis calidioribus Meridionalibus potest apportare hyeme, Spiritus nostros fermentantes.

Ex quibus patet, universam naturam,

turam, majorem æque ac minorem, mundum febricitare, hyemis sustinere & æstatis vicissitudines, & obnoxiam esse injuriis. Ut frigus tollitur accessu Solis, ignium calore & fotu: ita febris algida amolitur, si in principio tempestivè ac præmaturè corpus calefiat, & humectetur per sudores. His enim tollitur non frigus tantum, sed exspirat etiam præternaturalis calor febrilis, & miasmata, pluviaque quasi quadam tepida & rore perfunduntur Spiritus, & corpus nostrum.

18. Mutuus inferiorum inter se similium consensus & sympatheismus satis evidens est, lippis etiam & tonsoribus, imò aniculis notorius. Consensus est, raptus, tractus inter elementa congenera. Terra tendit ad terram, non gravitate, sed ob identitatem, naturali instinctu, tractu, raptu. Aliàs enim terra æquali celeritate ad terram moveretur, mutuo potius appetitu trahitur. Novimus enim terram in

æquali motu ferri aut rapi ad terram, quo enim terra propior fit & redditur terræ, eo major eſt appetitus, raptus, libido & φιλαυτία.

Terra tendit ad terram, non gravitate, alias major globus citius terram repeteret, quàm minor; novimus tamen, minorem & majorem globum pari & eodem paſſu petere, eodem deſiderio appetere terram. Terra exſiccata & igne calcinata, ut & alkalia aquam ſponte ex aëre ideo attrahunt, quòd globus terræ, non ſicca ſit tantùm terra, ſed terra conſtet & aqua, juſſu DEI Creatoris. Terra ex Nilo deſumta, exſiccata, & diligenter aſſervata toto anno nihil in pondere mutatur ad diem 27. Julii, tunc ſeipſa fit gravior, quo tempore inundatio Nili fit. Tractus, con-raptus, ut ita loquar, eſt inter aquam & aquam, ob identitatem, gutta tangens guttam attrahit eam, combibit, in ſe abſorbet, ſibi unit, cum ea coit, & fit una gutta, quia eadem eſt aqua & homogenea.

19. Tractus est & naturalis motus omnium aquarum & fluminum ad mare. Flumina mare quasi appetunt, naturali ruunt raptu & appetitu ad mare; debet enim esse sine fine perpetua aquarum collectio, reconjunctio, circulatio, quam gloriosus naturarum Creator imperavit aquis, eaque immutabiliter permanere debet, quousque visibilis iste stabit & durabit mundus.

20. Naturalis est raptus ignis ad ignem: minor ignis currit ad majorem ignem: omnis ignis recta ad ignium fontes astra, cumprimis Solem per flammam pyramidalem, neglecta naturali sua forma rotunda, rapitur ad raptum similium. Omnes Spiritus, cùm ignes sint, exhalant, sursumque tendunt, nullusque nobiscum perennat; e. g. corporis nostri Spiritus; Spiritus Chymici & olea exspirant in aërem, ad cœlum, Solem, quia aëreæ sunt naturæ, cœlestes sunt & ignei.

21. Naturalis est perpensio & motus

motus aëris ad aërem, aër lignis inclufus, navem onerariam non permittit ſubmergi: incarceratus in terra, ibidemque dilatatus, cum impetu & violentia quærit ſibique parat exitum & tandem evadit, ut in terræ motibus apparet, reuniri enim deſiderat cum univerſo aëre ſibi ſimili.

22. Quæ reunitio ſimilium per elementorum ex chao ſeparationem in prima creatione, & reconjunctionem juſſu ſupremi Numinis naturalibus omnibus eſt injuncta, & per mandatum impoſita, & ille ipſe confluxus ſimilium ſeu deſiderium communiter Magnetiſmus dicitur, & Sympatheiſmus. Sicut igitur verbum benedictionis, *Creſcite & multiplicamini*, hucuſque efficax eſt, & erit ad mundi uſque conſummationem: ita & verbum ſeparationis. In actu ſeparationis, mandato Creatoris in momento confluxit omne ſiccum in unum globum, quem Terram nos jam dici-

mus; omnis ignis congregatus in unam massam seu corpus igneum, quod Solem jam vocamus. Omnis substantia frigida seu frigus in unum globum, quem Lunam vocamus. Omnis aqua coaluit & congregata est in unum alveum seu Mare. Omne reliquum subtile in cœlum. Omne itaque creatum ab assignato suo loco remotum, suum iterum repetit debitum & competentem locum. Et ille ipse amor & Philautia similium, de quâ hactenus diximus, patet etiam ex diversis liquoribus, uni vitro commissis, qui licet agitatione confusi videantur, non tamen commiscentur, sed quivis ad suum iterum movetur simile, suumque pristinum & competentem occupat locum.

23. Naturalis est amicitia, inter eos, qui ejusdem sunt complexionis, v. g. inter sanguineos, juvenes & virgines, viros & viros, senes & senes. Naturalis fuit consensus inter nasum insititium & inter ba-

julum,

julum, ex quo reſectus erat: veram hanc eſſe hiſtoriam recenſet Helmontius p. 752. §. 22. Campanella, Magnenus, Servius, aliique. Sympathiam inter ſanguinem hominis & Spiritum ejuſdem ſanguinis innuit Rettray hiſce verbis. *Spiritus ſanguinis in vitro ſervatus, monſtrat ſanitatem aut morbos ejus, à quo detractus eſt, licet longè abſentis, nam morbido eo exiſtente turbatur diverſiſſimè, & charitatem amittit & contra.* Idem autor eandem ſæpe notavit morbidi cum ſua urina in vaſe clauſo per aliquot dies ſervata ſympathiam. Urina humana deſtillationi ſubmiſſa, conſenſum, quem Spiritus ejus cum corporis, ex quo deſumta eſt, Spiritu habet, oſtendit ſenſibiliter: deſtillationis enim tempore corpus alteratur, inque morbum proclive eſt. Dygbæus ſequentem recenſet obſervationem: *Notum eſt in Anglia, ubi magni canes ſeu moloſſi aluntur, ſtatim enim ac quidam ab ejusmodi cane valde morſus*

fuerit, operam dari, ut occidatur canis, quamvis non sit rabiosus, quo minus demorsus futuro anno redeunte in cane rabie eodem morbo iterum corripiatur. Mirabile est, & Spirituum consensui unicè adscribendum, quod cutis capitis pilosa viro cuidam detruncata, exsiccata & asservata, vergente ætate illius viri à vulnere perfectè curati, cũ sano capite canescente & calvescente cistæ inclusa pilos canos & tandem calvitiem ostenderit.

24. Magnetismus est, meo quidem judicio, quod vesperi tenebris ingruentibus (aëre tenebrefacto, ut ita loquar, tenebrefiant quodammodo, tenebris quasi obducantur, corporis nostri Spiritus) dormituriat, dormiat homo, somnus enim est hominis & Spirituum Nox, ex obumbratione Spirituum nostrorum, per Spiritus obscuros, qui luminosis obducuntur nostris & commiscentur ex cibis recenter assumtis. Chylus enim sanguini & Spiritibus conjunctus, & unà circulatus,

latus, opacus est, obnubilat, obfuscat Spiritus lucidos, hinc Spiritibus Nox, tenebræ obveniunt, secunda enim & tertia concoctio utplurimum perficiuntur nocte in somno, in quibus successivè purificantur, perficiuntur.

25. De die somnus meridianus, & ille qui cœnam mox sequitur molestiam affert & lassitudinem, laborem Spiritibus, quia Chylus vel Spiritus crudi in somno rapiuntur justo citius ad cor, hinc Spirituum inquinatio, non perfecta purificatio. In somno autem nocturno debito tempore cepto per aliquot horas continuato, per gradus magis magisque chylus & Spiritus rectificantur, hinc solitus corporis vigor manè peracto somno redit, peractis coctionibus, refectionibus, purificatis Spiritibus.

26. Obviæ sunt & receptissimæ curationes, magneticæ communiter dictæ, tonsoribus notæ & usitatæ. Curiosè enim & humaniter tracta-

to, deligato, inque locum temperatum depoſito cruore extravenato, Spiritus circa vulnera per conſenſum, eandem benignam percipiunt curationem & tractationem, perinde ac ſi ipſa vulnera debito modo ſpecificis ſuis medicamentis & remediis eſſent deligata, chirurgi opera & induſtria curata: contra vero ſi cruor aut etiam ſanies ex vulnere manans crudeliter tractatur, aëri injurioſo, igni aut foco lucido exponatur, eandem injuriam & injurioſam tractationem unà etiam ſentiunt & compatiuntur vulnera, cum graviſſimis doloribus aliiſque ſymptomatibus, quæ aliter ſedari non poſſunt, niſi ſupradicto modo iterum deligentur lintea cruenta aut ſanioſa, inque locum temperatum reponantur.

Præterea Sympatheiſmus eſt, inter nutricem qui intercedit & infantem; inter mammas & lac, inter gemmas, amuleta & corporis noſtri Spiritus, inter ☿um & aurum.

27. Partium etiam & viſcerum humani

humani corporis mutuus eſt & communis conſenſus, harmonia, magnetiſmus, Sympatheiſmus, ob Spirituum identitatem, dolente una parte condolent aliæ partes vicinæ, cumprimis cor, Spirituum analyſta præcipuus & rectificator, imò univerſum corpus. Incaleſcentibus unius partis ſpiritibus, ſtatim cũ univerſo Spirituum complexo communicatur intemperies, indignabundo unius partis Spiritu, indignabitur universi corporis Spiritus. Quicunque igitur ſanitatem & morbos in Spiritibus unicè conſiſtere negabit, illum convincent magnetiſſimi & ſympatheiſmi, quibus cognitis, omnium morborum ſubjectum Spiritus eſſe, eoſdemque ſanitatis conſervatores, morborumque curatores ultro fatebitur. Sympathiæ itaque qui novit cauſas, norit etiam antipathiæ, quæ oritur ex diſſimilitudine Spirituum, de quibus uberius forſan ſequenti titulo de occultis qualitatibus. Concludo itaque ſympatheiſmum & antipatheiſmum

fundatum esse actu primæ creationis in mandato separationis vel divisionis & congregationis elementorum ignis, aëris, aquæ, terræ. Quæ elementa bruta hucusque habita, promtius paruerunt hactenus verbo, & religiosius observarunt Separatoris, gloriosissimi Conditoris mandatum, quàm universum genus humanum promulgata lege, & Evangelio, voluntati Legislatoris & Messiæ.

CAPUT XXVIII.

DE QUALITATIBUS OCcultis cæteroquin manifestis.

1. Occultæ qualitates in quibus consistant. 2. Dantur in tribus Regnis. 3. In animali. 4. Venena quomodo noceant. 5. Quomodo miasmata. 6. Pestilentia quomodo fiat. 7. Ex spiritibus vindicatoribus. 8. Probatur ex Sacris. 9. E cruentatione cadaveris. 10. Per remedia specifica. 11. Ex aliorum Spirituum impressa indole. 12. Pestem ex vermiculatione. 13 Confirmat Hippocratis consilium. 14. Vermiculi amant calorem & ignem. 15. Ex quibus generantur. 16. Alia pestis causa. 17. Cur meti-

meticulosi crebrius peste corripiantur quàm animosi? 18. Inter magnetem & ferrum identitas est. 19. In quibus discrepant. 20. In quibus conveniunt. 21. Tractio quomodo fiat. 22. Magnetem radiare demonstratur. 23. Aurum attrahit. ☿ium ob similitudinem. 24. Quid lues venerea? 25. Elementa possunt comprimi & concentrari. 26. Hydrophobia qualis morbus. 27. Unde aquarum metus. 28. Cura. 29. Specifica medicamenta quomodo agant? 30. Qualitatum occultarum ratio ex duplici fonte deducitur. 31. Occultarum qualitatum fons & origo. 32. Quo nomine sint manifestæ.

PRæmissa de Magnetismo & Sympatheismo doctrina hactenus intricatissima, occultæ jam manifestandæ sunt qualitates, & quid? in quibus? unde sint? explicandum.

1. In præcedenti titulo sympatheismum & antipatheismum in identitate seu similitudine & dissimilitudine Spirituum consistere docuimus: in identitate & dissimilitudine spirituũ, & manifestis qualitatibus occultas communiter dictas cõsistere in prȩsentiarũ monstrabimus.

2. Occultæ dicuntur qualitates

latitare in triplici Regno, animali, vegetabili, & minerali. Occultæ dicuntur esse qualitates mutuæ in animali regno, v.g. homo hominem amat, odit, juxta illud, Martialis.

Non amo te Volusi, non possum dicere, quare?
Hoc tantùm possum dicere, non amo Te.

Animal persequitur animal, non occulta qualitate, nec odio, sed ut devoret, seque perennet: ita mutuæ dantur occultæ ita dictæ qualitates, odia, amicitiæ mutuæ vegetabilium inter se, e.g. vitis amat ulmum, odit hederam, brassicam. Inter mineralia ☿us & aurum, occultam dicuntur fovere amicitiam. Dantur etiam qualitates occultæ seu inimicitiæ & odia mutua inter animalia & vegetabilia, inter animalia & metalla.

3. Homo quando hominem amat, odit, dicitur esse qualitas occulta, cum tamen satis manifesta sit naturarum convenientia, identitas,

raptus,

raptus, & hinc amicitia & odium, à Spirituum convenientia, diſconvenientia, eâdem & ſimili diſpoſitione, ſimilitudine & diſſimilitudine. Ex eodem fundamento & eadem qualitate, quâ terra terrã, ignis ignem, aqua aquam, aër aërem appetit, attrahit, in ſe combibit: eo nomine & homo hominem ob Spirituum convenientiam, identitatem, eandem & ſimilem conſtitutionem, amat; ſi enim homo ſimiles habet Spiritus homini, ratione ſubſtantiæ, qualitatum & diſpoſitionis: ii homines ob Spirituum convenientiam conveniunt, & inter eos mutuus eſt amor, amicitia, ſympathia & convenientia; contra ſi diſconveniant, ratione diſpoſitionis, odium eſt & antipathia: Puer naturaliter amat puerum, puella puellam, vir libenter converſatur cum viro ejuſdem qui eſt temperamenti & conſtitutionis. Sanguineus cum ſanguineo, cholericus cum cholerico, phlegmaticus cum phlegmati-

co, melancholicus cum melancholico: ut ignis ignem amat, naturali raptu fertur ad ignem: ita ſanguineus naturali motu fertur ad ſanguineum, hoc eſt, ſanguineus amat ſanguineum. Ut aqua aquam combibit, ita Phlegmaticus phlegmatico libenter conjungitur, &c.

4. Venena Spiritibus noſtris inimica ſunt qualitatibus manifeſtis, 1. quia meri ſunt ignes, & ignem habent in corpore ſuo concentratum, cauſticum. Sui juris factus, aliudque ingrediẽs corpus ſeſe diffundit, multiplicat, humidum pingue conſumit, deſtruit, debilemque vitæ flammulam ſuffocat, fugat, extinguit.

Nonnulla venena quæ dicuntur, ſalia ſunt corroſiva, aculeis ſuis non corpus ſolummodò Spirituum habitaculum, ſed ipſos etiam Spiritus exquiſitè ſentientes pungentia, fugantia. Salia illa, cum terræ ſint producta & filii, idcirco parentis formã retinent aculeatam, hirſutã.

5. Mi-

5. Miaſma eſt Spiritus quiſpiam terreſtris, ſylveſtris, qui vernali vel autumnali tempore in fermentatione univerſali ſui juris factus, in aëre fluctuat, volitat, & hinc inde oberrat, è quo ab homine attrahitur & hauritur. Ille Spiritus effrenis poſt fermentationem pridem ſui juris per rebellionem ſuam factus, priſtinam ſuam fermentandi, rebellandi obtinet & ſylveſtrem naturam, novas in corpore, novo habitaculo turbas movet, Spiritibus noſtris bellum indicit, & hinc tam acris in febribus epidemiis Spirituum colliſio, pugna, in toto corpore inquies, turbulenta conſtitutio. Ille Spiritus ſenſatus, peregrinus, alienus, effrenis more omnium Spirituum & ignium facultatem habet ſeſe extendendi, multiplicandi, & quando pars ejusdem ex œconomia corporis alicujus ægroti ejicitur, ingreditur aliud corpus, & tunc dicitur Spiritus contagioſus, in quo corpopore antiquum obtinet, denuò cor-

poris humani Spiritus corrodendi, ad orgaſmum concitandi, fugandi, perſequendi, conſumendi, extinguendi, ſuffocandi, qui commodiſſimè per ſudores ejicitur, & è Spirituum œconomia exturbatur. Et hinc innoteſcunt genuinæ omnium contagioſorum morborum cauſæ, etiam ipſius Peſtilentiæ.

6. Peſtilentia communiter oriri dicitur ex aëre corrupto, cùm tamen aër, ut ſuo titulo monſtratum, corrumpi non poſſit. In aëre tamen dicuntur eſſe corruptiones, aut aëri communicari, quatenus exhalationes è terræ cavernis, ex aquis ſtagnantibus, item effluvia, & Spiritus peregrini, ex putredinibus & corruptionibus cadaverum poſt clades occiſorum inhumatorum cum aëre commiſcentur; qualis fuit peſtis illa atrociſſima Attica, poſt bellum Peloponenſe, quæ volucres etiam in aëre volitantes trucidavit.

7. Spiritus hi ex occiſis occiſoribus exſpirantes, occiſores ſunt, mor-

mortisque suæ vindicatores, quia ex occisoribus & homicidis in iracundiæ furore occisis, exhalarunt, emanarunt; retinent itaque rancorem, iracundiæ furorem, indolem & animum se vindicandi & occidendi, militum militantium truculentiam, quam exerunt in quævis corpora, involando ea, fugant meticulosos & fugitivos Spiritus, eosdemque more suorum autorum, militum ex quibus exhalarunt, trucidant, atroci odio, truculentia, crudelitate, vindicta.

8. Talem vindicandi animum seu indolem retinere post internecionem Spiritus in duello & conflictu duntaxat innocenter occisorum, loquitur, 1. ipse JEHOVAH Genes. 4. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Hîc à DEO attribuitur sanguini Abelis seu Spiritibus ejus in sanguine, (sanguis enim sine Spiritibus merum cadaver est) 1. vox clamans, vociferans. 2. vox cum clamore à DEO desiderans

rans

rans, efflagitans, extorquens vindictam. 3. ſanguis ſpirituoſus vindictam ſumens à terra alioquin innocente, quòd ſanguinem ſolummodo hauſerit, ſterilem eam reddendo & devaſtando. 4. Profugus factus dicitur Cain, vagabundus, meticuloſus, tremulus, propter perſecutionem & præſentiam Spirituum interfecti Abelis: Hinc propter continuam perſecutionem, exagitationem, torturam, angores, quibus à Spiritibus cruciantur, torquentur, ſponte judicio ſeſe ſæpè ſiſtunt ejusmodi homicidæ, & accuſant.

9. II. Occiſi hominis Spiritus retinere animum vindicandi, patet ex cruentatione cadaveris, quæ accidit in præſentia homicidæ: Spiritus enim in ſanguine cadaveris ſuperſtites Sentiunt præſentiam Spirituum homicidæ, cum quibus pridem inſtituebatur complicatio & hoſtilis colliſio in duello, idcirco vindictam meditantur, deſiderant, parant, & iracundiæ motu inſurgunt contra

hoſtem,

hostem, qui motus sanguinem calefacit & fluidum reddit, non secus ac si in vivo corpore post iracundiam ex Spirituum excandescentia, effervescentia, hæmorrhagia sequitur. Talem Spirituum interimendi, vindicandi proclivitatem & indolem pestilentiæ causa esse docent.

10. III. Remedia specifica, Pestis antidota, quæ fugant, ejiciunt, protrudunt, talia miasmata, hoc est Spiritus ejusmodi occisores, vim & violentiam nobis inferentes: & desumuntur ex animalibus generosis; unicornu, cervis in orgasmo constitutis, ferocientibus, quæ armis suis & partibus suis armatis generositatem, hostibus & hostilibus sese opponendi, resistendi, impresserunt, non secus ac animosus gallus lapidi alectorio generositatem, quam gestatori suo etiam inspirat lapis, amuletum.

11. IV. Spiritus ex animalium corporibus evacuati aliisque infusi, suam cum iis communicant nati-

vam

vam indolem; v. g. homo nutritus lacte ferino ferinus fit: ſanguis felis, homini aut cani infuſus, canem facit feli æmulum: Spiritus canis rabidi, homini inſpiratus, hominem reddit latrantem, mordentem, rabioſum, hydrophobum: taratantulæ ſaltatricis ſpiritus, hominis ſpiritus reddit ſaltantes, torpedinis torpidos: eodem etiam modo & Spiritus hominis, cumprimis militum truculentorum, in iracundiæ furore interemtorum, furorem poſt internecionem è corpore profugi, retinent, & in quoscunque obvios, nocentes pariter & innocentes cœco impetu furibundi ruunt. Hinc illa univerſalis in peſte ſtrages & calamitas, præſertim poſt aciem quæ ſuboritur, quando inhumata deſeruntur in libero aëre cadavera putrefacienda: ita enim Spiritibus, mortis vindicatoribus, libera permittitur evagatio & invaſio: humatis autem cadaveribus coërcentur, ſubmerguuntur, ab eo combibun-

bibuntur, vindictæque obliviscuntur.

12. Suboritur non tantùm pestis post acerrimas & calamitosas strages, clades, sed etiam ex aliis effluviis putridis aëri quæ communicantur, ex terra, insectorum matre. Ea effluvia ulterius putrescunt in aëre fœcundante, vivifico, in ejus tranquillitate, tepiditate, fomentantur, pullificantur, & hæc ist illa in peste vermiculatio, quam primitus Physicis monstravit acutissimus Kircherus.

13. Aëris compressionem, impuritatem, abominales in eo putredines, & ex inde ortas vermiculationes, pestilentiæ causam esse, evincunt divini Hippocratis consilia, curationes, & per incendia sylvarum, aëris purgationes: Ignis aërem compressum extendit, dilatat, eundem purificat, impuritates consumit, vermes comburit.

14. Vermiculi enim, ut & omnia viventia propter Spiritus, qui ignei sunt,

ſunt, naturali inſtinctu ignem amant & lucem; tenebras autem & frigus, Spiritus necantes, fugiunt. Iſta vermiculatio, in ejusmodi ſummi gradus (ut loquuntur Medici) putredine, multiplicabilis eſt in infinitum, non in aëre tantum tepido, ſed etiam in calidis hypocauſtis, nec ceſſat, donec calore fomentante cedente vel purificatur aër, vel ſuccedat frigus, prohibens & enecans ulteriores vermium generationes.

15. Illud ipſum autem ex quo vermes generantur, ut plurimum aëri communicatur. 1. ex cadaveribus occiſorum inſepultis, quæ alioquin in libero cumprimis aëre facilè in vermes tranſeunt, & commutantur. 2. ex terra & terræ cavernis; terra enim ferax eſt vermiũ, ut vidi ſæpè, quando hyeme, calido repoſitam ſervari hypocauſto terram, deprehendi paulo poſt vermiculis eam ſcatuiſſe, & planè obductam fuiſſe; terra enim animalculorum ferax eſt, in ſe enim divinam habet benedi-

ctionem & ſemina, non vegetabilia duntaxat, ſed reptilia etiam, & volucria quoque producendi. Ejusmodi animalia facilè alas ſibi formant, comparantque, & volitantes in aëre oberrant. Hinc Medici ab ægrotis infectis redeuntes, igni ſeſe & veſtimenta exponunt & ſiſtunt, permittuntque ut vermiculi ignem, quem amant, inſtar illius ſatyri deoſculentur, & unà cum barba alas comburant, ut plurimum univerſum corpus. Iſta vermiculatio fomentatur in aëre non tantùm, ſed etiam in ipſo ſanguine, lacte, caſeo, aceto etiam ácerrimo inſtituitur.

16. Cauſa tamen Peſtis non ſunt vermiculi duntaxat, ſed etiam Spiritus terreſtres, ſylveſtres, minerales, ſalini, corrodentes, cauſtici, qui quando corpora intrant humana, eandem habent facultatem corrodendi, cardialgium, vomitiones, viſcerum ardores, &c. Cauſandi, non ſecus ac arſenicum, auripigmen-

mentum, aliaque mineralia alioquin venenata, nitro aſſumta: hinc etiam arſenicalia dicuntur, ☿rialia, cinnabarina, &c. Ea tamen peſtis omnium atrociſſima eſt, quæ, ut jam dictum, ex putredine in conflictu occiſorum inſepultorum oritur, qualis fuit Attica illa, de qua Thucidites, ex bello Peloponenſi. Miaſmeta illa, ut dictum, ſunt Spiritus ex cadaveribus militum in ipſo iracundiæ furore occiſorum egreſſi, in aëre fluctuantes, ab aliis attracti, furorem & vindictam retinentes, exercere deſiderantes, ideoque Spiritus occiſores à nobis dicti: Iſti animum, indolem, vindictam, & occidendi furorem exerunt in corpora recepta:

17. Et ea ipſa forſan cauſa eſt, quòd meticuloſi ex terrore & metu crebrius corripiantur peſte, quàm animoſi. Spiritus enim truculenti, ferocientes, vindicatores, perſequuntur, interimunt, necant ſine reſiſtentia fugientes, meticuloſos,

ſed

ſed non ita facilè animoſos, animoſè reſiſtentes: idcirco nonnulli, timoroſos reddunt animoſos, potu vini generoſioris, quod Spiritibus multiplicat, & audaciores reddit & valentiores.

Ad alias nunc tranſibimus qualitates alioquin occultas, & quidem ad qualitatem Magnetis magneticam, tractoriam. Magnetem ferrum, & ferrum magnetem mutuò trahere notorium eſt. Facultatem hanc occultam eſſe omnes unanimiter aſſerunt: ego autem qui maniſeſtiſſimam magnetis & ferri, ſeu cum ferro, identitatem video, inde mutuum tractum oriri pronuncio.

18. Minera ferri & magnetis admodum parum inter ſe differunt; conveniunt potiùs ratione principiorum & Spirituum. Ferrum metallum eſt, & quidem propter ☿rium ſub malleo ductile; magnes, itidem metallum, ob ♀r tamẽ ☿um copia ſuperans, malleo reſiſtens. Differunt itaque iſta duo, propter inæ-

inæqualem principiorum miſtionem, ductibilitate duntaxat, non ſecus àc plumbum differt ab antimonio, non alia ratione, quàm, quòd plumbum plus habeat ☿ii, minus 🜍ris; ♁ium plus 🜍ris, quam ☿ii, hinc ob ☿ii 🜍r præponderantis abundantiam, ductile, ♁ium ob 🜍r ☿ium præponderans minus ductile, malleoque magis reſiſtiblile, omnis enim ductibilitas eſt à ☿rio.

19. Ferrum itaque & magnes utrobique idem 🜍r habent, & eundem ☿rium, principia inter ſe non niſi inæquali pondere diſcrepantia.

20. Cumprimis autem magnes & ferrum conveniunt ratióne identitatis Spirituum. Ferrum Spiritus de ſe ſpargit minerales ſeu metallicos, ejusdem generis & quidem actuoſiores; copioſiores Magnes de ſe radiat Spiritus.

21. Spiritus hi, cum iidem ſint, confluunt, non ſecus ac ignis ad ignem, aër ad aërem, aqua, ad

aquam,

aquam, terra confluit ad terram; ut ignis figuram suam rotundam deserens, figura peregrina pyramidali, eique minus congrua rapitur ad igneum solem, à quo combibitur: eodem modo & Spiritus minerales ferri & magnetis iidem confluunt, concurrunt, combinantur, & sua post se trahunt corpora Spiritibus ejusmodi impraegnata.

21. Magnetem autem radicare & spirare de se Spiritus, monstrant 1. mechanicè moderni Philosophi. 2. mineralium fossores observant metallorum exhalationes igneas, spirituosas, quas Germani Witterung vocant. 3. iidem explorant diversas metallorum mineras latitantes, per virgas ☿les diversorum lignorum, mutuam sympathiam ob Spirituum similitudines, cum mineralibus habentium: ita enim coryli virga eodem modo concinnata, quo acus magnetica venas argenteas monstrat; Virga fraxini consensum habet cum ♂te: abies

cum ♄ o, alnus cum Scaturiginibus. 4. patet ex ignitione magnetis, per quam ſuos in igne amittit Spiritus fugitivos antea tractivos; imò Soli expoſitus, calore Solis vis tractrix, ob Spirituum jacturam, debilitatur. 5. Magnetem habere Spiritus ♀reos, fœtentes, patet ex fœtore, qui odoratu percipitur in ejusdem ignitione. 6. Spiritus hos attractivos, minerales, aliis poſſe copulari mineralibus, patet ex Goclenii obſervatione, quam in ſynarthraſi allegat; mechanica ex allegato peti poteſt autore. Cum itaque univerſa Natura nil aliud ſit, quam ſimilium raptus, coitio, mutuum deſiderium, idcirco facultas magnetis tractrix conſiſtet etiam in identitate Spirituum ♀reorum ferri & magnetis: & magnetis quidem Spiritus activiores ſunt, ob volatilitatẽ ſuam, copioſiores ſunt & minus ligati, nec ſub jugo & metallica ligatura incarcerati, ferri autem fixiores

res sunt, magnetici liberiores, volatiliores, magis spirabiles & fugativi, & hinc mutuus ille tractus, raptus, desiderium, coitio; quam tota die oculis nostris in Natura inter similia, & ea, qua eadem sunt, videmus, nullaque alia est, quàm ea, quam in præcedenti titulo monstravimus, quæ est, e. g. inter aquam & aquam, terram & terram, aërem & aërem, ignem & ignem.

23. Talis tractio similium est in auro & ☿rio. ☿um enim quando tractam⁹ in igne, v. g. in deauratione vasorum argenteorum, & aurum vel auream monetam retinemus in ore, moneta aurea albescit, & ☿rio obducitur: ☿us enim magis spiritualisatus in igne, ob identitatem advolat ad aurum in ore artificis aut adstantis reconditum, quod ob similitudinem amicabiliter amplectitur, eique tenaciter ædhæret.

24. Pergamus jam ulterius ad alias occultas, ita dictas qualitates. Inter occultarum qualitatum mor-

bos à Medicis recensetur primo quasi loco Lues Venerea, quæ morbus non magis occultus est, quam puerorum scabies. Scabiei enim species est, ex spirituoso & igneo, è corporibus infectis exhalante & exspirante sale, in superficie corporis in efflorescentias cum suo vehiculo excrescente, orta. Qui sal spirituosus facultatem habet sese in infinitum extendendi, multiplicandi. Omnis enim Spiritus ex bonitate Metaphysica & ex benedictione divina super res mundanas, facultatem habet sese extendendi, & in infinitam multiplicandi: unus tamen fertilior est, activior & spirituosior altero, ut patet ex venenorum catalogo, inter quæ unum magis igneũ est, quàm alterum, unumque altius immersum est & implicatum materiæ, quàm alterum. Lues illa iisdem etiam quibus scabies tollitur & curatur remediis, tonsoribus etiam notis.

25. Sicut omnia quatuor elementa

menta comprimi possunt, concentrari, ligari, iterumque dilatari, extendi, expandi, manumitti & vice versa; ita & omnis multò magis Spiritus. Hinc non miror, quòd in grano Nubiæ, tanta sit calefaciendi, camburendi vis concentrata, & consumendi corporis nostri Spiritus tenuissimos, vitæ nostræ flammulam rarissimam, tenuissimam, præsertim cùm Spiritus ignei, præter facultatem extendendi sese, habeant insuper vires in infinitum sese ignium instar multiplicandi.

26. Hydrophobia à Medicis etiam inter morbos refertur occultos. Hydrophobia in canibus symptoma est; morbus est febris ardentissima, ex Spirituum incendio, atrocissimis cum deliriis & furore: hinc obvios quosvis, notos & ignotos anhelante rictu adoritur, impetit, mordet. Febris hæc, cùm sit à Spirituum igneorum flagrantia, incendio seu nimia igneitate, idcirco ratione igneæ naturæ Spiritus

ignei, aquam naturaliter averſantur. Qualis igitur inter incendium & aquam diſconvenientia, diſſimilitudo, antipathia, metus, fuga, ſtrepitus & colliſio: eadem inter Spiritus caninos incendio laborantes, & inter aquam extremè ex oppoſito frigidam, ſicut homo in balneo calido, calefactus, aquam extremè frigidam horret: ita ob Spiritus igneos inflammatus, aquam averſatur canis rabidus & omnia liquida; Aqua ignem, ignis aquam fugit ob diſſimilitudinem; DEUS enim in prima creatione voluit ſimilia congregari, diſſimilia ſeparari: quæ congregatio & ſeparatio perpetua lex eſt, erit & manebit, quamdiu viſibilis hic durabilis eſt mundus. Aqua in cacabo igni ſuperpoſita exhalat, fugit, exſpirat. Ignis ſuperflua aqua ſuffocatur quaſi, extinguitur, aut deſerit combuſtibile, fugit potius, & in auras exſpirat ad ſuum ſimile, quodvis enim pergit

& pro-

& properat ad suum simile, fugit autem dissimile.

28. Ut autem copiosa aqua, & diluvium, ignis incendium; ita submersio canis, etiam hominis hydrophobi, Spirituum incendium, & una ideas furibundas, caninas, mordaces, invidiosas extinguit, obliterat.

29. Membris & visceribus specifica medicamenta dicuntur agere occulta qualitate, cum tamen satis manifesta sit, quâ agunt. Spiritus cordialium eandem vel similem habent constitutionem, qualitatem, humidam & calidam, cum Spiritibus vitalibus: cephalicorum Spiritus easdem habent qualitates seu substantiæ dispositionem cum Spiritibus animalibus, e.g. majoranæ cephalica, Spiritus habet subtiles, similes & propter similitudinem amicabiles & sociabiles Spiritibus animalibus.

30. Omnium itaque, meo quidem judicio, qualitatum occulta-

rum ratio manifesta dari potest ex duplici fonte, & primò quidem vel ex Spirituum indentitate seu similitudine & dissimilitudine; vel 2. ex potestate animæ & Spirituum creeandi, multiplicandi res, rerumque ideas, quæ divina potestas creandi à Creatore in ipsa creatione homini inspirata est, in animam influxit, & animalium Spiritus: quam creandi potestatem hactenus fortem vocarunt phantasiæ facultatem, cùm tamen phantasia sit actus & facultas animæ & Spirituum, v. g. homo creat hominem: animal animal; vegetabile vegetabile; gravida creat in embryone cerasum, aliumve nævum: eadem in embryone creat ideam caseum abominandi, butyrum, rosas, & certa quædam animalia; in proprio corpore creat homo ideas pathematum, rerum lætarum, tristium, terribilium, amabilium, abominabilium, &c. ut in titulo de ideis dictum.

31. Nos Christiani, quibus cognitus

gnitus est actus & historia primævæ creationis, tenemur tandem in inquirendis & dandis rerum & actionum, in hac mentis caligine, nobis obstrusarum naturalium causis, in DEO & primo motore, & divinis naturæ collatis acquiescere dotibus, quas in & cum creatione naturalibus, gloriosissimus inspiravit Creator & communicavit. Scimus enim ab inexhausto illo omnis divinitatis Oceano, incomprehensibili Numine eas abundantissimè fluxisse. Et eo nomine quidem, abstrusæ rerum virtutes planè occultæ dici non possunt, cùm nos sciamus, sciantque ethnici, in Deo plures esse, ex eoque fluxisse potuisse adhuc plures, si placuisset divino Numini virtuosiores: Videmus enim ejusmodi occultas actiones nobis cum Deo esse communes, quia ab ipso fluxerunt, quod enim DEUS habet, creaturis suis, suâ, quâ voluit mensura in actu creationis communicavit, nihil enim à DEO emanavit in

creaturas, divinum quod non ſit ipſum, Deumque noſtrum opificem, quod non referat omnipotentem.

32. Satis tamen manifeſtæ ſunt, cùm videamus plerasq; fieri per volitionem, fortem phantaſiam, deſiderium, non nullas per raptum ſimilium, & fugam diſſimilium. Ea omnia itaque partim ſapiunt & æmulantur Creatorem, partim obſequiosè obſervant Creatoris juſſa, & ſummi Monarchæ voluntatem. Ex divinis itaque dotibus homini collatis & ex hoc, cujus mentionem fecimus deſiderio ſimilium, omnis declaranda eſt occulta qualitas, omnisque naturalis emanat, ſuumq; habet fundamentum Magia. Non operæ precium eſſe duco, omnes rerum adducere, longo ordine enumerare & examinare qualitates occultas, cùm meo quidem judicio, ex duplici jam dicto fonte omnium ratio dari poſſit manifeſta. Nec putandum, omnia, quæ in catalogum qualitatum occultarum à ſcri-

ptoribus

ptoribus hactenus relata sunt, occultas meritò dici qualitates, v. g. inter lupum & agnum communiter dicitur esse occulta qualitas & antipathia, cùm tamen lupus nisi dietur ovibus, felis muribus, lucius piscibus, homo feris, propter sui conservationem & alimentationem: lupus ex eadem causa & alia persequitur animalia, porcos, hinnulum, cervos, equos: hyeme, extrema fame, ipsum etiam hominem aggreditur; non occulta qualitate, odii, aut Spirituum dissimilitudine, sed propter famem, suique conservationem: eodem modo ac homo, & animalia quævis carnivora, rapacia, persequuntur, occidunt & devorant animalia vescibilia.

CAPUT XXIX.

DE FERMENTATIONE.

1. Fermentatio est actio Spirituum. 2. Promovetur. 3. Impeditur.

DE Fermentatione, cùm sit actio Spirituum, agere meritò

debuissemus in Medicina hac nostra Spirituum. Verùm cùm fusius & eruditissimè de hac materia doctissimi hactenus scripserunt autores, labore supersedebimus. Non exiguam tamen Fermentationi lucem infert hæc nostra Spirituum doctrina.

1. Fermentatio enim actio est Spirituum, & fit ex collisione, lucta & pugna Spirituum. Spiritus enim, quando non amplius sunt, & contineri possunt sub imperio, in libertatem sese vindicare satagunt, extricant sese sensibiliter, motu, expansione, strepitu.

2. Promovetur Fermentatio, si Spiritus peregrinus acidus, inimicus superaddatur fermentandis, qui sese multiplicans aculeis suis pungitivus est, & irritativus, aliisque molestus, autor aliis & suasor in libertatem sese vindicandi.

Frigus fermentationem hebetat, Spiritus enim coërcet, fugat, quò minus sese extendant & multiplicēt.

CAPUT

CAPUT XXX.

DE FASCINATIONE.

1. Quid Fascinatio? 2. Quid infrigidatio? 3. Quid ὀργᾶν? 4. Signum virginitatis. 5. Spiritus imperant Spiritibus. 6. Fascinationes fiunt Voce. 7. Cantu. 8. Visu. 9. Contactu. 10. Jaculatione. 11. Præstigiis. 12. Mediis naturalibus. 13. Omnes esse naturales demonstratur.

1. PErgimus jam ad titulum de Fascinatione. Fascinatio generale in sagarum actiones, quod cadit, vocabulum, propriè est imperium Spirituum in & super Spiritus, subjugando eos, & quasi ligando.

Talis fascinatio, ligatura Spirituum & subjugatio statim sese offert & accidit in frigidis ita communiter dictis, quibus Venerem exercendi potentia & stimulus quasi extinctus est, seu potius quorum Spiritus genitales subjugati sunt, & quasi ligati, quo minus turgescant.

2. Infrigidatio illa communiter

dicta, morbus est Spirituum genitalium, in quo Spiritus cohibentur, coërcentur, iisque imperatur, quo minus intumescant, sese extendant, nedum per orgasmum in libidinem erumpant. Libidinosa enim phantasia & appetitus Venereus semper conjunctus est cum orgasmo Spirituum genitalium intumescentia, turgescentia.

3. Propriè ὀργᾷν sumitur de anxia animalium & præcipuè fœminarum appetentia, quæ libidinis impetu concitatæ in Venerem ruunt, earumque corpora turgescunt.

4. Hinc sponsæ collum prima nocte Venerem expertæ solito utplurimum crassius est, ita ut filo etiam deprehendatur excessus seu turgescentia. Tali modo Democritus puellam Hippocratis comitem, virginem primò, sequenti verò die fœminam salutavit, quòd nocturnæ deflorationis indicia forsan etiam ex hirciſſatione perciperet. Spiritus itaque genitales in frigidis succum-

cumbunt, partes autem genitales non laborant, in iis enim nullus deprehenditur morbi nec defectus vestigium. Homo imperium habet ratione Spirituum in hominem, quæ tyrannis nominari potest, generosa activitas, à nonnullis dicitur vis & facultas phantasiæ, de qua superius hinc inde inseruimus.

5. Spiritus autem hominis imperare alius hominis Spiritibus, patet inde, quia, 1. secundum receptam Philosophorum sententiam & quotidianam experientiam, alius nascitur Dominus, ratione Spirituum, alius dominantium generosorum, alius naturâ nascitur servus, quia ob Spiritus serviles natura vult servire, 2. ex increpatione, quando homo hominem increpat, unà imperat aut imperare sibi præsumit alteri homini. Hinc ansa data est Paracelso statuere & pronunciare magnam verbis inesse virtutem. 3. Spiritus fortiores imperare super debiliores, patet ex Regibus & Principibus

cipibus, qui ratione imperantium & regiorum natura Spirituum, & generosioris indolis aliis imperant.

Fit tamen interdum, quod eorum Spiritus debiliores ligentur sæpè, imperentur, gubernentur & quasi fascinentur à Spiritibus ministri aut ministrorum qui abundant Spiritibus fœtioribus, fortiori phãtasia agentibus. Patet ex viro, qui mulieri ratione Spirituum virilium imperat: mulier interdum Spirituum masculorum ratione effœminato viro virilior est. 4. Videmus Spiritus similes similibus ligari, colligari, complicari, sibi mutuò quasi magneticè adhærere; qualis colligatio est inter fidos amicos: talis Spirituum colligatio fuit inter Davidem & Jonathanem, inter Damonem & Pythiam, talis Spirituum reciproca colligatio est inter conjuges.

Illud ipsum dominium, de quo jam agimus seu imperium, tyrannis increpatio & fascinum, ut eò

effica-

efficacius fit & imperiosius, requirũtur Spiritus in sua phantasia fortes, generosi, in desiderio & intentione suâ exaltati, roborati. Phantasia autem activior fit, & exaltatur, ideoque fascinationes paraguntur.

6. 1. Voce, murmure; non quòd nuda verba effectum habeant quendam: sed quatenus cum indignatione, execratione, imprecatione, forti odii, iræ, invidiæ phantasiâ, desiderio & intentione enunciantur.

7. 2. Cantu, hinc incantatio, quatenus cantu celebrantur & peraguntur, vel quatenus verba cantantur. Tales incantationes leguntur apud Virgilium in Pharmaceutria:

Ducite ab urbe domum mea carmina, ducite Daphnim.

Iste versus intercalaris sæpius repetitur ab incantatrice, pro phantasia alioquin segni acuenda, roboranda, exaltanda. Idem Poëta.

Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam.

Carminibus Circe socios mutavit Ulyssis.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

8. 3. Visu seu intuitu forti, cum odio, iracundia, amore. Langius l. 3. epist. 36. de planetarum & gemmarum effluviis agit, in specie de visu sequentia addit: *nullum reperiri in humani corporis fabrica sensus organum, quod tanta Spirituum copia scateat, & fulgorem de se emittat, ut oculus.*

Hinc Virgilius:

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

9. 4. Contactu, sagas nocere posse, docet Carrichterus in herbario suo, & Joh. Bapt. Condronechius, aliique.

10. 5. Jaculatione, ut vocant, sagittatione, ictibus, tostione, percussione aliisque multis illicitis modis: quorsum pertinent maleficia, quando sagæ homines necant & animalia, iisque nocent, nec non segetibus,

tibus, vegetabilibus; qualia etiam sunt veneficia, dum venena parant, ea acuunt & perniciosiora reddunt, quibus aquas, pascua, aërem aliaq; coinquinant & inficiunt.

11. 6. Præstigijs, quatenus Dæmon ad instantiam sagarum imagines vel phantasmata in aëre format, & iisdem oculos fallit, tales serpentum imagines per magos Ægyptiacos Pharaoni objecit Dæmon.

12. 7. Fiunt Fascinationes, non Spirituum & fortis duntaxat phantasiæ viribus, & præstigiis, sed aliis etiam mediis & remediis, cæteroquin naturalibus; v. g. mumia humana, herbis, pharmacis, animalibus, animalium partibus, mortuorum cadaveribus & ossibus, vestibus & indumentis, excretis, &c. quibus nocent.

13. Omnes autem enumeratas fascinationes naturales pronuncio, & esse inde concludo, 1. quòd à creaturis perficiantur. 2. quòd in & cum Natura & rebus naturalibus fiant

natu-

naturaliter. 3. quòd naturalibus remediis tollantur. Fiunt à creaturis, à Dœmone, & sagis. Dœmones, cùm sint in censu, serie & ordine creaturarum, & inter naturæ cancellos inclusi, nihil supernaturale ipsis concessum est patrare. Quicquid igitur agit Genius in fascinationibus omnis generis, utitur vel abutitur potius naturalibus caussis, mediis & remediis; ultra naturam, supra naturam, non habet, quod agat, potestatem. Sagæ quicquid agunt, agunt vel mediis naturalibus, vel forti animæ & Spirituum phantasia, qua sibi aliisque prodesse vel obesse possunt etiam non sagæ, ut titulo de viribus Phantasiæ dictum est.


Sagis autem phantasia sopita expergiscitur, exaltatur ope, suggestione & persuasione Dœmonis. Utuntur vel abutuntur sagæ & Dœmon Naturæ potestate & mediis naturalibus, pro obtinenda malefica nocendi intentione, eoque nomine

mine eorundem magia, naturalis titut sit, illicita tamen est, quippe quâ nocendi remedia sagis à Dœmone, cui animam suam oppignorarunt, suggeruntur.

Ex allegatis itaque causis omnem Magiam, etiam Dœmoniacam, naturalem pronunciavi, cùm fiat; 1. per naturam, creaturas naturæ cancellis inclusas. 2. quia per media naturalia peragitur; fascinationibus enim resistimus: 1. animositate: animosi, sicut à peste immunes sunt; ita etiam à fascino, meticulosi autem infantes, pueri, animalia; quorum debilis phantasia, fortiori subjugata est, odiosâ phantasiæ actione, facilius corripitur & subigitur morbis fascini: repercussio, secundum Helmontium naturaliter reflectit incantamentum, in sui autorem. 2. Combustione per ignem, ignis enim subjecta, vehicula & media fascinationum consumit & annihilat, ligatosque Spiritus liberat. 3. per arcana majora, quæ omnem Spiri-

tuum

rituum exarthrosin & præternatulem constitutionem corrigunt. 4. per vegetabilia, animalia, lapides, gemmas, mineralia & medicamenta, quæ ex iis desiimuntur specificè proficua interna & externa. Ejusmodi auté remedia hinc inde ab autoribus recensentur, cumprimis à Karrichtero in herbario suo germanico: Helmontio in opere suo magno p.603.



2vol. 3e

